This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ls
19
235

Ls 19.235

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)

8 September, 1884.

DE

L. ANNÆI SENECÆ TRAGŒDIIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

C. E. SANDSTRÖM.

Upsala Universitets Årsskrift. 1872.

Philosophi, Språkvetenskap och Historiska vetenskaper. II.

UPSALIÆ

TYPIS EXSCRIPSERUNT EDQUIST ET BERGLUND.

MDCCCLXXII.

Ls 19.235

Mêmoir lued.

De L. Annæi Senecæ Tragoediis.

Scripsit

C. E. Sandström.

Qua causa et suscipitur labor scribendi plerumque et susceptus sustentatur facillime, quum ad rem aut primi aut novi venimus, ea causa mihi Senecæ tragoedias instituenti tractare perexigua contigit. Quibus de tragoediis et tam multa sunt scripta, quam multa necesse erat scribi de litterarum monumentis ejusmodi, quæ si interissent, nihil fere aliud exstaret, unde, quid in gravissimo omnium opere Romana valuissent ingenia, judicare possemus; et judicia sunt tam varia facta tamque diversa, quum viri docti alii summis eas laudibus extollerent, alii repudiarent prorsus ac spernerent, ut, qui denuo de iis judicare voluerit, si summas rerum dumtaxat et Senecæ genus universum respexerit, vix novam ullam et suam proferre sententiam possit, alienam aliquam ac veterem tuendam confirmandamque necessario suscipiat. Quamquam diversitas illa opinionum, ne forte in re valde obscura versari videamur, magis superiorum temporum esse quam horum arbitranda est. Abiit enim illud tempus et transactum jam dudum est, quo talia possent et fieri confidenter et patienter audiri judicia, quale de his tragoediis judicium fecit J. G. Scaliger; qui quidem est eo usque progressus, ut eas non modo Græcorum cuilibet comparare, verum etiam Euripidi anteferre non dubitaverit. Quod si et ille existimavit et alii præterea multi aut ejusdem ætatis homines aut etiam ejus, quæ propius abest a nostra, partim judicii pravitate sine dubio lapsi sunt; partim a vero dispiciendo quum omnino nimis ardens antiquitatis studium tum præcipuus quidam Latinarum litterarum impediebat favor: quæ ut prius cognitæ sunt quam Græcæ, ita vehementius illis animos hominum usque ad prioris seculi finem occupatos tenebant. Postea vero

quum plus operæ studiique in Græcas litteras conferre coepissent earumque litterarum incredibili quodam amore flagrarent accessissetque ars illa, quæ in poesis rationibus explorandis tractandisque versatur, quæ tum demum Græcorum carminum splendore commota sustulit se altius et quid laudandum esset in poematis, quid vituperandum, et acrius investigare et explicare subtilius instituit, ab illo vero tempore paucissimos inveneris, qui quidem aut gloria hujus artis aliqua florerent aut integritate judicii uterentur, qui de hoc Seneca tamquam de poeta vere tragico judicaverint. Ac pæne profligata jam esse quæstio videretur, nisi et Lessing[1]) viderem, virum acerrimo ingenio præditum, plus multo hisce tragoediis tribuisse quam nunc quidem vulgo a viris doctis tribuitur et nuper alius quidam exstitisset Klein[2]), qui modo ita contemneret Senecam ut qui maxime, modo tam magnifice laudaret quam qui magnificentissime. Quorum alter, quamquam quæ de Senecæ tragoediis scripsit et juvenis scripsit et nescio an animo non satis integro, quippe qui, dum studiosius oppugnat quod ea ætate in litteris vigebat judicium, et artem poeticam a Francogallorum ratione ad veterum scriptorum normam revocare conatur, vel omnia antiquarum litterarum monumenta tamquam religione quadam imbutus in coelum laudibus extolleret, tamen quæ est viri auctoritas et mira quædam in hac ipsa ratione prudentia, impulit me, ut par erat, et excitavit, ut rationum mearum momenta etiam atque etiam diligenter expenderem; alterius dissensio eatenus valuit, ut non eum poetam reprehendere, qui jam ab omnibus esset patronis destitutus, aut in re manifesta atque indubitata nequicquam verba consumere viderer.

Profiteor enim me, ut jam ab initio judicium meum aperiatur, probare vehementer quod de his tragoediis Bernhardy existimavit, quod Nisard[3]), quod A. W. v. Schlegel[4]) imprimisque hujus, quem extremo loco nominavi, adeo mihi vera sententia videtur, quum præsertim sit perbrevis, ut, qui de genere tantum et quasi de indole harum tragoediarum audire cupiverit, nihil sane sit habiturus, cur post illius judicium alius cujusquam requirat. Nam singulas quidem fabulas persequi neque ille induxit in animum neque alius quisquam eorum, qui in eadem judicii severitate versantur: nisi quod Nisard Oedi-

[1]) W. XXIII, p. 127 e. q. s. 164 e. q. s. 227.

[2]) Gesch. d. Dramat. II, pp. 351—468.

[3]) Etudes de moeurs et de critique sur les poëtes latins de la décadence par D. Nisard III Ed. I, p. 119 e. q. s.

[4]) Gesch. d. dram. Kunst II, p. 25 e. q. s.

pum Senecæ cum Oedipo rege Sophoclis comparavit, præclare ille quidem, ita tamen ut si reliquas quoque fabulas adjunxisset, multo perfectiorem Senecæ generis imaginem et expressiorem quodammodo potuisset effingere. Eorum autem, qui benignius de hoc existimaverunt, et Lessing duas fabulas satis copiose et omnes ad unam Klein non ita breviter tractavit. Non igitur inutilem plane suscepturus operam videbar, si, quod hi fecerunt, omiserunt alteri, quorum ad sententiam maxime inclino, id ego nunc facere conarer, ut singularum fabularum rationes explicarem et quid in quaque earum aut pravum esset aut si forte laudabile, quam diligentissime et æquissime possem, exponerem. In quo negotio melius putavi cantica, non, ut quodque occurrisset, ita statim rerum ipsarum contextui inserere, sed in unum omnia locum conjicere, ubi de natura et generibus eorum universe disputaretur. Et quoniam Græcos tragoediæ scriptores imitatus esse Seneca dicitur, versatur certe in iisdem argumentis atque illi, ut dubitari non possit, quin, quum has scribebat, illorum exemplaria sæpe respexerit, ita de Senecæ fabulis disputabo, ut Græcæ quoque illius, si qua cuique quasi ex altera parte respondeat, formam ipsam atque imaginem breviter exponam: ut, quid inter Senecæ et Græcorum componendi rationem intersit et quod illius addendi, mutandi omittendive consilium fuerit, uno statim tamquam aspectu dijudicari possit. Proposui autem mihi in toto hoc judicandi officio non modo, quid mihi de quaque re videretur, exponere, sed causam quoque et rationem, cur ita videretur, adjungere: maximeque id in iis rebus faciam, ubi meum judicium ab aliorum judiciis abhorrebit: ubi meum defendere, aliorum infirmare conabor, modo tamen servato, ne de judiciis judicando infinita succrescat oratio. Singulis vero fabulis explicatis, quid ex iis de toto genere Senecæ sit colligendum, comprehendam breviter adjiciamque, quæ sit in his fabulis rerum sententiarumque tamquam supellex et quæ ei supellectili in Senecæ de philosophia libris similia atque cognata reperiantur.

Hæc est hujus operis forma atque adumbratio: cujus exædificandi munus quam mearum virium imbecillitatem longe superaverit, neque ipse ignoro et alii melius videbunt. At si quis erit, cui in Græcorum commemoratione plus, quam institutum nostrum postulaverit, versati esse videamur, is, si quam anceps et lubrica sit tota hæc ratio fabulas enarrandi, in qua pulcherrimi sæpe poematis et quam maxime coartata et illustris tamen imago desideretur, æquo animo et benigno consideraverit, facile, ut spero, ab instituta reprehensione desistet. Quodsi vel sic in opinione perseverabit, tum

fatebor aperte pertæsum me harum Senecæ tragoediarum nonnumquam esse vehementer; Græca autem tragoedia, ut par est, delectari mirifice; eoque esse factum, ut libentius crebriusque ab his Senecæ sordibus tenebrisque orationem ad Græcorum lucem præstantiamque deflecterem; in quo si quid erratum est, veniam habebit faciliorem, si — id quod volui quidem certe — dum meo fastidio mederi conor, eorum quoque qui legent satietati providero. Nam illud quidem non ita sane vereor, ne aut nimis extulisse Græcos aut nimis depressisse Senecam dicar: etiamsi enim res pro se ipsa non satis loquatur, eos tamen habeo auctores, quorum gloria et gravitate tutari me facile possim; verumtamen ne quis hoc me nomine reprehendendum putet, ut dicat, quum Græcis a me studiose omnia summa tribuantur, Senecam, si quid ejus laudabile inciderit, tamquam ab invito ac pæne maligne laudari, proponam breviter, quid sentiam de tota hac ratione judicandi; ita enim statuo, cujus poetæ multa perite, multa prudenter, multa divinitus instituta esse constet, in eo si quid occurrerit, quod quale sit non statim appareat, tum vehementer sibi ipsum oportere diffidere; tum omnia consideranda, retractanda, excutienda; quidvis denique experiundum potius quam, quum tuam possis, illius intelligentiam damnes: contra quem raro esse poetam, nonnumquam vix hominem cognoveris, hic si quid effuderit, quod commoveat specie quadam vel ingenii vel artis, in hoc laudandi cunctationem non minus esse quam in illo reprehendendi laudabilem.

Ac de instituto quidem meo hactenus; nunc ad rem ipsam aggrediamur atque eo quidem ordine, ut primum Troades explicemus, deinde Phædram, tum Medeam, post Herculem Furentem, Œdipum, Œdipi fragmentum, Phoenissarum fragmentum, Thyesten, ad extremum Agamemnonem, Herculem Œtaum, Octaviam: quum in libris ipsis — nos autem eum secuti sumus, quem Rudolphus Peiper et Gustavus Richter recensuerunt — exceptis tribus illis extremis, quæ hic quoque extremæ sunt, alius fabularum exstet ordo, ut sit: Hercules Furens, Thyestes, Œdipi fragmentum, Phoenissarum fragmentum, Phædra, Œdipus, Troades, Medea. Quod cur ita mutaverim, quamquam levis ac fere nullius momenti res est, rationem tamen arbitror esse reddendam. Nam quum exordiri optimum esse putarem ab iis fabulis, quæ res eas, quibus genus et ingenium Senecæ maxime declararetur, et maxime insignes haberent et plurimas, quumque viderem duo esse omnino genera tragoediarum, unum quod in subitis rerum magnisque conversionibus, alterum quod in affectibus magis et moribus versaretur, tum intellexi ejusmodi fabulas,

unde commodissime fieret exordium, non ex illo priore genere esse quærendas, sed ex hoc posteriore, propterea quod in illo plurimam vim obtineret compositio argumenti — argumenta autem a Græcis plerumque sumpsisse Senecam videbam — hoc magis ipsa tractatione rerum niteretur, in qua consentaneum esset facilius multo suam quandam et propriam, si quam haberet, ingenii facultatem potuisse expromere. Hujus autem generis, quod morum affectuumque habet descriptionem, hæ maxime videntur esse, Troades, Phædra, Medea.

Quamquam Euripidis quidem Troades, ut prius aliquid de ea dicamus quam ad Senecæ accedimus, quonam in genere sit reponenda, nonnihil poterit esse controversiæ. Nam quibus rebus illa duo genera distinguuntur, earum nullius quasi signum ita gerit expressum, ut ad utrum referenda sit statim dijudicare possis. Cujus argumentum est excidium Trojæ, personæ autem sunt eæ, quæ in hac calamitate versantur, feminæ, cognatione aut affinitate Priami contingentes domum: harum miseriis et fletu referta sunt omnia. Ita hæc tragoedia neque in fortunæ varietate versatur, quandoquidem calamitosi jam ab initio fabulæ homines, quicquid res procedit, nihil aliud quam in graviores gravioresque incidunt calamitates: neque natura ullius et mores insigniter exprimuntur, quum nullius neque in periculis propulsandis fortitudo neque in casibus perferendis cernatur constantia. Quid? Quod ne hæc quidem observata esse videntur a poeta, quæ nisi qui religiosissime observarit, ad summam laudem aspirare non possit? Quod neque res est una quæ geritur neque unus est, ad quem omnia referantur, cujus saluti faveamus, doleamus interitu? Quid? Quod et personas induxit multas easque non contentione aliqua inter se dissidentes aut ad id, quod omnium interesset, pro suis quamque nitentes viribus, sed et cognationis et miseriarum societate conjunctas et, ne quid agerent omnino, vi hostium plane oppressas atque constrictas et res plurimas variasque in unum conjecit, quæ ejusmodi essent, ut una quavis earum sublata ceteræ nihilominus contingerent; quum ita constitutam velint fabulam, ut ad unum omnia spectent, ad unum omnia exitum perducantur resque omnes ita alia ex alia aptæ nexæque sint, ut, qualis est in iis, quæ rerum natura procreavit, talis in his, quæ hominum ingeniis pariantur, firma quædam ac perpetua series rerum exsistat?

Sed nimirum non earum modo rerum ratio est ducenda, quæ per illud temporis spatium, quod ipsius tragoediæ finibus terminatur, gestæ esse finguntur; sed ad ea quoque, quæ rem gestam vel antecessisse vel sequi indicantur, conferendus est animus. Quod si fecerimus, omnia illa, quæ leviter aspicientes offendunt, perfacile tollen-

tur intelligeturque hanc tragoediam quasi partem amplioris cujusdam esse tragoediæ, quam animo et cogitatione liceat fingere, cujus primus actus Helenæ libidinem ac temeritatem, tertius Achivorum, quum post Ilium captum domos repetunt, horribiles miserosque casus, medius autem hujus ipsius fabulæ, quam in manibus habemus, res et argumentum contineat. Quæ quum omnia unius fabulæ finibus includere hujus operis ratio et forma prohiberet, ita hanc partem poeta divellit et separavit a ceteris, ut ab hac in illas quasi prospectus quidam liber atque apertus pateret. Neque hoc ita esse temere judico aut non ipse poeta clamat, quam in partem accipi suam fabulam velit. Hoc enim consilio prologum fecit, ubi Neptunus et Minerva, depositis inimicitiis quas belli trojani causa susceperant, uno animo ad Achivorum exitium conspirantes, ille turbulentas tempestates iratumque mare, hæc fulmina pollicetur et patris et sua. Huic ipsi rationi consentaneum est, quod Menelao præsente Hecuba Helenam capitis accusat eamque omnium malorum et Græcis et Trojanis causam fuisse demonstrat; ut biceps quodammodo hæc fabula sit et in utramque partem spectet et cum futuris præterita juxta comprehendat. Referendam autem esse apparet ad id genus, quod in fortunæ varietate versatur, neque id simpliciter aut Trojanam modo rem intuentibus, sed sive hujus sive illius populi res spectantur. Nam ut Trojani, quum per longum seculorum ordinem incolumes stetissent, propter unius libidinem Paridis ex opulento statu ad nihilum sunt redacti, sic expugnata Troja Græcis quoque, dum victoria insolenter abutuntur, dum omnia agunt feruntque, dum non imbecillitatem senum, non regiam majestatem, non pudicitiam virginum sacerdotum verentur, fatali furore gestientibus tacitum ingruit simile devictorum cladibus exitium. Sic similia semper ex similibus oriuntur: sic ipso supplicii tempore nova suppliciorum materia succrescit; et quemadmodum in turbida tempestate vix recentis tonitrus fragor abiit, quum jam adventantis exaudiuntur e longinquo murmura, sic uno eodemque tempore summi numinis decreta partim perficiuntur, partim jam præparantur et imminent.

Atque ut hoc prudenter instituit poeta, ita prudentissime in ceteris fabulæ partibus est versatus. Habebat in animo expugnatæ civitatis miserias depingere; videbat multas multorum una tragoedia concludendas esse calamitates: magnum fore periculum intelligebat, ne tantam rerum multitudinem diversitatemque in unum conflare non posset videreturque non unum quoddam fabulæ corpus sed quasi membra temere dispersa exsistere. Tum vero illud quoque vidit, ut ceteris rebus omnes fere fabulæ personæ pares essent, ut nulla

præcipuum quicquam ad conciliandum favorem haberet, sic miseriarum ærumnarumque saltem principatum uni esse sine dubitatione deferendum Hecubæ. Hæc enim regio genere nata, potentissimi regis conjux, quum et patriam incolumem atque omnibus opibus abundantem habuisset et liberorum quum multitudine tum gloria floruisset, primum patriam gravissima belli tempestate oppressam, tum liberorum optimum quemque hostili manu interemptum, ad extremum expugnatam urbem mactatumque ad altaria senem Priamum viderat: insigne mortalibus documentum, quantam unius hominis vita et adversarum rerum et secundarum capere vicissitudinem possit. Hanc igitur miseriarum, ut ita dicam, majestate præter ceteras excellentem numquam ex scena discedere, omnibus semper rebus voluit interesse: hanc quicquid ipsi, quicquid liberis, quicquid patriæ miserum et calamitosum acciderit, tamquam unam omnium dolore confossam pariter omnia fletu et lacrimis prosequentem facit; ut, tamquam in tabula picta una fere res maxime illuminari solet, ceteræ magis occultari atque recedere, sic in hac excidii Trojæ pictura Hecuba una maxime emineret, ceteræ ab illa tamquam gradibus distarent.

Cui primum vulnus infligitur, quum Polyxena in Achillis tumulo mactatur. Quod malum postquam obscure jactavit Talthybius, ita ut a spectatoribus intelligatur, non intelligatur ab Hecuba, Cassandra in medium repente provecta, præ dolore vix mentis compos primum nuptias Agamemnonis, cui pellex est destinata, suis ipsa miseriis acerbe illudens invocato Hymenæo jactatisque facibus celebrat: mox a luctu ad futuræ ultionis gaudium versa, quæ primoribus Græcis calamitates impendeant, ab Apolline instincta prædicit. Cujus furorem excipit, ut magis sedata atque tranquilla, ita non minus tristis Andromache, a qua Hecuba docetur Polyxenam mactatam, Andromacham ipsam Pyrrho in matrimonium datam. Hæc quum secum ipsa deliberat, quodnam reliquæ vitæ consilium sequatur, utrum Hectoris memoriæ et recordationi adhæreat, an filii Astyanactis causa novi mariti animum demulceat, primum admonentur auditores restare adhuc Trojæ quod speret et quod amittat. Statim enim hic ipse Astyanax ad mortem a Talthybio abducitur: placuisse proceribus Græcorum, ne quid inde periculi Græciæ nasceretur, præcipitem eum de præalta turri dari. Jam nihil ultra fortunæ, ubi potentiam suam exerceat, relictum conclamatumque pariter et præsens et futurum Ilium est. Quid multa? abducitur ille, defletus a matre: quæ continuo ipsa ad exilium exilioque gravius connubium abripitur. Una Hecuba relinquitur, cujus scilicet huic quoque funeri curæ la-

crimæque debentur. Justis igitur nepoti persolutis postquam jam clamor instat militum ad naves ire captivas jubentium, quum jam ardens Ilium flammis omnia collustrat, jam fugientibus exauditur corruentium tectorum fragor, tum illa senex vidua, extorris patria, liberis orba hostilem navem ascendit.

Hujusmodi fere Euripidis fabula; Senecæ autem quamquam maxime quidem ad Euripidis similitudinem est comparata, tamen habet multa, quorum quasi origines et semina in aliis Græcis fabulis dispersa atque dissipata reperiantur. Nulla vero re longius a Græco poeta Seneca discedit, quam quod tanta rerum varietate non contentus, quantam ille prudentissimis rationibus vix comprehendere potuit et colligare, novis etiam rebus novisque personis multiplicem jam sua sponte fabulam refersit, ejecit autem omnia, quæ ab illo ad totius tragoediæ consilium significandum erant efficta. Nullus hic prologus: nullum de Helenæ capite judicium: cetera, ut breviter de tota re existimemus, magis temere et fortuito congesta quam ratione et ordine composita. Orditur autem fabula ab Hecuba lamentante de Trojæ interitu:

En alta muri decora congestis jacent
Tectis adusti: regiam flammæ ambiunt
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus:
Diripitur ardens Troja. 15—19.
Stat avidus ira victor et lentum Ilium
Metitur oculis ac decem tandem ferus
Ignoscit annis. 21—3.

Huic chorus respondet nænia, qua Hectore defleto Priamum rursus propter opportunitatem mortis felicem prædicat:

Ch. Felix Priamus dicimus omnes.
Liber manes vadit ad imos:
Nec feret umquam
Victa Græcum cervice jugum.
Secum excedens sua regna tulit.
Nunc Elysiis errat in umbris
Interque pias felix animas
Hectora quærit. 164—170.

Lamentandi fine facto, pavore perculsus, erectis capillis irrumpit Talthybius; narrat Achillis umbram in tumulo visam: Polyxenam sibi victimam tradi postulasse:

Emicuit ingens umbra Thessalici ducis. (189)
Implevit omne litus irati sonus:
Ite, ite inertes, manibus meis debitos
Auferte honores. 198—200.

Satis similis hic locus ei, qui est in Euripidis Hecuba:

τύμβου δ'.ἐπιβὰς
οἶσθ' ὅτε χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὅπλοις
τὰς ποντοπόρους δ' ἔσχε σχεδίας
λαίφη προτόνοις ἐπερειδομένας
τάδε θωΰσσων·
ποῖ δή, Δαναοί, τὸν ἐμὸν τύμβον
στέλλεσθ' ἀγέραστον ἀφέντες;

109—15.

Talthybium autem subsecuti Agamemnon et Pyrrhus, dum vehementissime inter se de Polyxena immolanda contendunt, quasi nihil omnino de horribili illo prodigio audiverint, hic, ne debitus patri honos negetur, nihil aliud quam virtutes ejus extollit, victorias enumerat, ille, ne immani scelere Græci polluantur, suam clementiam et humanitatem, Achillis et Pyrrhi superbiam jactat. Ita Calchantem appellant, cujus vaticinio dubitatione præcisa non Polyxena solum, sed etiam Astyanax morti destinatur. Nihil horum in Græcis Troadibus; in Hecuba Euripidis [1]) significatio tantum dissensionis inter proceres Græcorum exortæ; quamquam in eadem fabula, quum Hecuba Ulixi misericordiam movere conatur, illa, ut hic Agamemnon, crudelitatem consilii exagitat, Ulixes autem eadem fere, quæ apud hunc Neoptolemus, tuetur: bene meritis de republica civibus gratiam sedulo esse referendam; verisimilius tamen videtur, quod Welckero placet [3]), ex Polyxena Sophoclis hæc fluxisse. Præterea neminem fugit, quam sit accommodatus hic locus ad instituendam de secundis rebus sapienter ferendis moderandaque regia potentia declamationem; qui locus ut sententiarum argutiarumque copia redundat, ita personas acrius tamen quam honestius altercantes habet.

Atque hæc quidem, sicut faciendum erit in plerisque, breviter percurrimus: qui sequitur vero actus, longiorem multo et accuratiorem desiderat explicationem. Hic enim universæ tragoediæ lumen; in hoc omne vitiosissimæ alioquin compositionis patrocinium; hic erat, propter quem, ceteris fabulæ partibus neglectis, quum Euripidis Troades in fati ac fortunæ genere posuissemus, Senecæ in contrario genere non dubitavimus ponere. Quem quidem locum, id quod vel maxime nos ad diligentius eum recensendum hortatur, iis laudibus extollit, eo studio amplectitur Kleinius, ut, dum in Ulixi persona humanitatem et misericordiam, in Andromachæ moribus maternum dolorem et pietatem

---

[1]) Eur. Hec. 116—22.
[2]) Ibid. 251—331.
[3]) Welcker, Griech. Trag. I, 141.

egregie dicit expressam, ab Seneca ista aut scripta esse aut scribi potuisse non putet, ab ignoto aliquo singularis ac pæne divini ingenii viro condita, inserta autem postea Senecæ libris nescio quomodo suspicetur. Atque hoc quidem extremum nescio an per jocum conjecerit: illud asseverat, non minus feliciter in Andromacha Senecam elaborasse, quam in Margarita illa Britannorum regina pro filii salute similiter pugnante elaboraverit Shakespearius. Non parva ista laus, sed, si verum quærimus, omnium amplissima, si quidem ita homines hujus rationis periti existimant, qui Shakespearium appellet, eum non hominis nomen videri, sed hujus operis atque ipsius tragoediæ dicere. Cujus comparationis gloriam quam bene sustineat, operæ pretium est cognoscere.

Inducitur igitur Andromacha cum famulo quodam sene de salute filii communicans. Luculentis hic sane versibus, quemadmodum sit animo adfecta, declarat, quum ita catervam alloquitur:

Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa quodcumque accidit
Torpens malis rigensque sine sensu fero.
421—26.

Præclara illa quoque maternæ pietatis significatio:

Jam erepta Danais conjugem sequerer meum,
Nisi hic teneret: hic meos animos domat
Morique prohibet: cogit hic aliquid deos
Adhuc rogare.
426—30.

Cujus de salute quo vehementius pertimesceret, visus in nocturna quiete Hector, ut filium ex periculo eriperet, graviter eam commonefecerat. Quo in somnio prætereundum illud non est, quod, quam ardenti amore conjugis memoriam prosequatur, æque et breviter et commode declarat:

Mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit
Oculosque nunc huc pavida nunc illuc ferens
Oblita nati misera quæsivi Hectorem.
466—68.

Quærenti igitur locum, ubi tuto latere filius possit, postquam nullus alius succurrit quam sepulchrum Hectoris, quamquam et omen terret demissi ad patrem mortuum filii et consilium ipsum non nimis exploratum et certum videtur, placet tamen extremo hoc uti perfugio. Vix puer in depulchrum descendit: et jam adest Ulixes qui jussu Græcorum puerum ad supplicium ducat. Incipit humanissime:

Duræ minister sortis hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo
Non esse credas nostra: Graiorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea suboles prohibet. Hanc fata expetunt.
533—37.

Causas deinde decreti principum profert; sollicitudinem illorum et metus, pueri terrorem ad paternam similitudinem crescentis ostendit; quin ipsam vult judicare, quam æqua res postuletur.

Est quidem injustus dolor
Rerum æstimator: si tamen tecum exigas,
Veniam dabis quod bella post hiemes decem
Totidemque messes jam senex miles timet
Aliasque clades rursus ac numquam bene
Trojam jacentem.
554—9.

In extrema oratione eodem, unde incipit, rursus revolvitur:

Neve crudelem putes,
Quod sorte jussus Hectoris gnatum petam:
Petissem Oresten. Patere quod victor tulit.
562—64.

Andromacha ad hæc, nescire se plane ubinam filius sit. Ille, mentiri eam sentiens, ut statim dedatur, poscit; instare, urgere: ignes, cruciatus, mortem denique minari. Quæ quum omnia illam fortiter contemnentem videt, rursus ad persuadendum deflectitur:

Hic ipse quo nunc contumax perstas amor
Consulere parvis liberis Danaos movet.
Post arma tam longinqua post annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem: bella Telemacho paras.
598—602.

His demum verbis tamquam ad confitendum compulsa sit, obisse filium edit, jurejurando interposito hujusmodi:

Ita quod minari maximum victor potest
Contingat et me fata maturo exitu
Facilique solvant ac meo condant solo
Et patria tellus Hectorem leviter premat,
Ut luce caruit. 608—612.

Pæne invenit mendacium fidem; abiturus est Ulixes ad Græcos cum lætissimo nuntio, quum subito animum ejus suspicio perstringit:

Quid agis, Ulixe, Danaidæ credent tibi?
Tu cui? Parenti. Fingit an quisquam hoc parens
Nec abominandæ mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
616—19.

Observat acrius mulierem timenti magis quam mærenti similem, oculosque in miserrimæ matris vultu defixos tenens:

Alios parentes adloqui in luctu decet,
Tibi gratulandum est misera quod gnato cares
Quem mors manebat sæva præcipitem datum
E turre lapsis sola quæ muris manet.

Pallescere ad hunc nuntium et horrore perfundi, ubi vero milites omnia perscrutari jubet, trepidare etiam et respectare eam animadvertit. Quibus rebus confirmata suspicione extremum hoc admovet tormentum, ut ementiatur vaticinatum esse Calchantem, nisi pueri morte lustrata Græcorum classis esset, unum esse piaculum, ut proruerettur Hectoris tumulus et cinis ejus fluctibus spargeretur. Fit miserrima deliberatio, utrum mariti sepulchrum filii nece, an hujus vitam illius mortui injuria servet:

Quid agimus? Animum distrahit geminus timor:
Pars utra vincet? Testor immites deos
Deosque veros conjugis manes mei:
Non aliud Hector in meo gnato mihi
Quam te placere.

651—56.

Vincit ad extremum conjugis honorem filii salus:

Utrique parci non potest: quidnam facis?
Serva e duobus anime quem Danai timent.

670—71.

Ubi vero milites tumulum proruentes et non ostentari jam minas, sed peragi videt, tum vero alienata mente, deorum atque hominum fidem implorans, sepulchrum intrare conantibus objicit pectus:

Me me sternite hic ferro prius.
Repellor; heu me. Rumpe fatorum moras,
Molire terras Hector, ut Ulixen domes.
Vel umbra satis es. Arma concussit manu.
Jaculatur ignes.

689—93.

Sed subito concidunt animi, ubi venit in mentem in eo sepulchro filium abditum esse, neque illud dirui posse, ut non hic eodem tempore collidatur. Ita, quæ una superest via salutis, ad preces descendit et supplex ad pedes Ulixi se projicit:

Sic te revisat conjugis sanctæ torus
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta. Sic te juvenis excipiat tuus
Et vota vincens vestra felici indole
Ætate avum transcendat ingenio patrem.

Miserere matris et preces placidus pias
Patiensque recipe quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme.
Miserere matris. Unicum adflictæ mihi
Solamen hic est.

707—13.

Deinde producto jussu Ulixis filio et ad genua ejus admoto Herculis olim victoris in puero Priamo clementiam profert. Ille neque precibus ejus movetur et probris lacessenti et ignavum alias, in pueri tantummodo cæde fortem vocanti respondet optime:

Virtus Ulixis Danaidis nota est satis
Nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem
Conterere verbis. Ancoras classis leget.

767—69.

Deflendi tamen spatium petenti concedit sequiturque jam Andromachæ lamentatio:

Occidis parvus quidem
Sed jam timendus. Troia te expectat tua.
I, vade liber. Liberos Troas vide. —
Miserere mater. — Quid meos retines sinus
Manusque matris? cassa præsidia occupas.

799—803.

Oscula et fletus puer
Lacerosque crines excipe et plenus mei
Occurre patri. Pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba: si manes habent
Curas priores nec perit flammis amor,
Servire graio pateris Andromachen viro
Crudelis Hector? Lentus et segnis jaces.
Rediit Achilles. Sume nunc iterum comas
Et sume lacrimas, sume quæ reddas tuo
Oscula parenti. Matris hanc solacium
Relinque vestem. Tumulus hanc tetigit meus
Manesque cari. Si quid hic cineris latet,
Scrutabor ore.

809—21.

Hæc sunt illa, quibus in laudandis nulla satis ampla atque magnifica verba invenire sibi posse videtur Kleinius. Quæ quamquam ea ratione adumbravi, ut sedulo semper, quæ maxime nitere viderentur, excerperem, tamen nemo erit, opinor, quin intelligat quam multis hæc ipsa quamque gravibus vitiis laborent quamque multum, si vere et æque velimus judicare, de illis Kleinii laudibus sit detrahendum. Non tamen ita sumus detracturi, ut non integram intactamque aliquam partem earum relinquamus, neque illam quidem contemnendam, sed quantam Senecæ

non sæpe alias tribuendi in hac nostra disputatione præbebitur occasio. Fateor enim habere hunc locum multa, quæ non modo prima specie, sed etiam retractata capere nos possint; vim magnam, vehementem ardorem, doloris autem et pietatis maternæ picturam nonnullis locis egregiam: tum rem eam, quæ agitur, ita esse comparatam, ut satis attentos nos teneat atque suspensos eamque rapido quodam cursu et quasi torrente decurrere. Fateor denique effecisse hic Senecam, id quod raro effecit, ut non modo verba audire, sed etiam rem ipsam cernere videare.

Sed ut hæc omnes laudanda esse concedent, ita ne in eo quidem multi a me dissentient, totum hoc commentum, quod novum, opinor, Seneca induxit, paullo longius esse arcessitum et rerum veritati ac fidei non nimis esse conveniens. Nihil credibilius, nihil similius veri quam quomodo rem actam esse quum ceteri poetæ tradiderunt tum in Troadum fabula Euripides: expugnata Troja diligenti custodia asservatos esse captivos eosque imprimis, qui cum regia domo propinquitate essent conjuncti: ita quum placuisset Græcis filium Hectoris et Andromachæ occidi, Talthybium tantummodo vel alium aliquem ejusdem ordinis virum ad abducendum puerum missum. Hæc vero quam absurda, quam non credibilia! Primum tam negligenter captivos fuisse custoditos tantamque in eo præsertim capite fuisse incuriam, unde tam grave sibi Græci periculum exoriri posse putarent, ut eum mortuum esse audacter ementiri posset Andromacha eique mendacio propemodum fidem Ulixes adjungere! Tum filium in patris sepulchrum occultatum: qua ratione ut postea exiret aut qua spe salutis in posterum? Leve est enim, quod ad hæc poeta ipse respondet: nempe ut primus impetus victorum interjecto spatio frangeretur. Quod quidem commentum, quoniam in trepidis rebus non eliguntur, sed rapiuntur auxilia, probabilius paullulo fuisset, si non ex somnii tantum pavore capientem id consilium fecisset Andromachen, sed illo ipso principum decreto perculsam, quo facilius, instanti periculo, vel ad vana auxilia videretur potuisse descendere. Nunc eam ignorantem illud decretum facit, eam scilicet ob causam, ut paratum habeat Ulixes, quo subito prolato in sensus ejus inquirat. Quid? jusjurandum illud, quo filium perisse confirmat, quo, novo atque inaudito more, non mortem sibi, si fallat, sed vitam imprecatur, utrum tandem pro rerum veritate confictum an ex vano novitatis et argutiarum studio natum videtur? Quid? quod Andromachæ, quum Hectoris tumulum Ulixes diruturum sese minatus est, aliquanto post demum succurrit, non posse illum tumulum everti, ut non eodem tempore aut inveniatur filius aut intereat? Tantamne in matre esse oblivionem, tantam in extremo periculo socordiam! non statim, ut nomen ipsum tumuli sonuit, exsilire, pallescere, ibi filium

esse cogitare? At non sunt omnia ita severe cum poetis exigenda; dandum aliquid sollemni eorum licentiæ est, connivendum in ejusmodi vitiis, quæ major et exquisitior consequatur voluptas. Videamus igitur, in personarum moribus effingendis quam se bonum poetam præstiterit.

In Ulixe summam esse humanitatem, summam misericordiam contendit Kleinius. Equidem, qualis mihi esse videatur, non tam facile expediverim quam non talem videri pro certo affirmaverim. Duæ enim apud Græcos poetas Ulixis inveniuntur personæ; quæ quum initio ex uno atque eodem tamquam exemplari fuerint expressæ, post leviter in honestius turpiusve mutatæ dissimillimæ evaserunt. Quarum id est commune, ut in utraque summa ingenii sollertia fingatur; differunt autem, perinde ut hoc ingenii bonum ad malitiam magis aut ad sapientiam flectitur. Ita in aliis fabulis prudens fingitur idemque humanissimus, suis commodis modice lætus, alienis non insultans malis, utilitatis suæ cum honestatis ratione effector callidissimus: modo dolosus, malitiosus, astutus, non hominum, non deorum verecundia tactus, quicquid animo agitaverit, vi, dolo, quocumque denique modo perficiens. Harum igitur personarum utrius ad similitudinem hic Ulixes accedat, vehementer in ambiguo est: nisi forte, quia humana ejus dicta finguntur, idcirco nobis est omittendum, quam nefarie, quam crudeliter agat. Nam pietati matris insidias struere, afflictam et perditam omnium horrorum stimulis irritare, ut, quicquid illa inhorruerit, quicquid expalluerit, in filii exitium vertat, necessitatem ei tam acerbam, tam immanem imponere, ut aut filium tradat trucidandum aut conjugis manes violari sinat, non videtur esse hominis humani, sed agrestis alicujus et efferati et ab omni humanitatis sensu remoti. At jubebat officium, necessitas imperabat. Imperabat illa quidem, puerum ubi lateret exquirere; non imperabat, ita esse sagacem, ut fas omne et jus gentium proculcaretur. Fac tamen fuisse necesse ista via grassari: potest fieri, ut quamvis clemens homo et mitis, vi aliqua aut potestate coactus, durius paullo sibi agendum esse arbitretur: ut vero flagitium suscipiat, ut immanitatem, nulla vis coget, nullum adducet imperium. Aut initio aspernatus tale negotium esset aut quum maxime perficientem defecisset constantia erupissetque illud naturale ad tempus tantummodo repressum bonum. Erravit poeta et vehementer erravit, si credidit Ulixem ideo posse humanum videri, quod invitum, quod dolentem sævire se diceret: non est ejusdem viri ista facere et hæc dicere. Quapropter sive honestatem personæ retinere voluit, non debuit eam usque ad foedissimæ crudelitatis ministerium, plenum odii, plenum inhumanitatis detrudere: sive ille durus Ulixes et malitiosus et qualem modo descripsimus argumento melius

respondebat, removisset omnem humanitatis et misericordiæ fucum, nudam et manifestam ejus proposuisset malitiam. Nunc ex duabus illis personis unam confudit et conflavit, ita ut alterius dicta cum factis alterius conjungeret. Qua crudelitatis et misericordiæ colluvione nihil tætrius, nihil foedius excogitari potest: dicas veteranum te aliquem tortorem videre eodem tempore gnaviter sane ac perite in ministerio versantem et simul mollitiæ simulandæ causa os ducentem flebiliter et falsas aliquas lacrimulas exprimentem. Loquimur de humanitate: quid? sapientiam ejus num pro celebrata illa Græcorum fabulis calliditate satis digne putamus expressam? Nescio quid aliis: mihi quidem neque nimis acutus videtur, qui ita mentienti matri, ut Andromacha mentitur, tantum non fidem habuerit, et qui mulieri, ut sua sponte filium hostibus dedat, æquitatis mentione persuadere se posse speraverit, prorsus videtur ridiculus. Sed de Ulixe hactenus: in Andromacha felicius elaboravit. Benigna enim erat materia et quæ deflecti ad prodigiosa non æque facile posset. Quamquam in hac ipsa neque quum Hectorem testatur nihil sibi in filio nisi illum placere, satis servata veritas videtur — certe enim hæ quotidianæ matres, quarum ex numero illa scilicet erat eximenda, liberos suos multo simplicius amant: amant enim, quod pepererunt, quod eduxerunt, denique quod non amare non possunt — et in deploratione illa suprema, tametsi ea quidem ejus, quæ supra ascripsimus, satis habent doloris, tamen aliis locis non item mæroris magnitudo verbis æquatur. Quapropter si totum hunc locum a præstantissimo tragoediæ genere multum abesse demonstravimus, si multa in argumenti rationibus absurde, multa in personarum moribus inconstanter efficta deprehendimus, sustineamus hæc ita laudare, ut nulla admirationis tamquam procella aut æstu longius a veritate rapiamur: probemus, non ut in suo genere perfecta atque absoluta, sed ut ad perfectissimum illud non nimis ex longinquo aspirantia: admiremur, si jam admirari placet, non simpliciter, non sine comparatione, sed ut a Seneca scripta; patiamur denique Senecæ hunc locum esse neque tam maligne de ingenio ejus existimemus, ut, si qua in hisce tragoediis exstiterint ejusmodi, in quibus eluceret aliqua virtutis et laudis similitudo, ea illi statim abjudicanda, alium aliquem, cui assignentur, videndum esse arbitremur.

Et qualis esset hic locus, jam vidimus: nunc quæ tamquam fons ejus et origo sit consideremus. Illud igitur primum apparet, naturam quidem ac mores Andromachæ eosdem a Seneca esse expressos, quos in Troadibus et Andromacha fabulis expressit Euripides: quarum in posteriore illa similiter atque apud Senecam ne mortem quidem pro salute filii detrectans inducitur: quas quidem fabulas hunc respexisse sin-

guli quoque versus utriusque poetæ declarant. Nam quæ apud hunc Andromacha dicit:

Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, cum ferus curru incito
Mea membra raperet et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
v. 421—24.

Eadem ab eadem in Andromacha fabula sic dicuntur:

ἐμοὶ δὲ θάνατος οὐχ οὕτω βαρὺς
Ὡς σοὶ δέδοκται· κεῖνα γάρ μ' ἀπώλεσεν,
Ὅθ' ἡ τάλαινα πόλις ἀναλώθη Φρυγῶν
Πόσις θ' ὁ κλεινός.
v. 454—7.

Similia hæc quoque sunt:

Grave pondus illum magna nobilitas premit.
v. 500.
τὸ δ' ἐσθλὸν οὐκ εἰς καιρὸν ἦλθε σοὶ πατρός.
Tr. 744.

Apud Senecam Andromacha Hectorem ad opem ferendam implorat: similiter apud Euripidem:

οὐκ εἶσιν Ἕκτωρ κλεινὸς ἁρπάσας δόρυ
γῆς ἐξανελθὼν σοὶ φέρων σωτηρίαν;
Tr. 752—3.

In pueri vero comploratione, quam Euripides duplicem fecit — nam et Andromacha vivum et Hecuba mortuum deflet — quum multa alia occurrunt, quæ expressisse Seneca videtur, tum illud potissimum adferam:

ὦ παῖ, δακρύεις; αἰσθάνει κακῶν σέθεν;
τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων;
Tr. v. 749—50.

Seneca autem sic:

Miserere mater — quid meos retines sinus
Manusque matris?
v. 802—3.

Sed apud Euripidem non resistit Andromacha puerum abducenti Talthybio necessitatique, quam ille inexpugnabilem esse demonstrat, cedit protinus: at apud Sophoclem in fabula, quæ græce *Αἰχμαλωτίδες* vocatur, quantum ex fragmentis suspicari licet, et occultatus ab ea videtur puer et a satellite quodam deprehensus Ulixi ad interficiendum traditus[1]). Quod si in eadem fabula, id quod

---

[1]) Welcker Griech. Trag. I, 177.

verisimile est, precibus quoque movere Ulixem vel alium quempiam conatur Andromacha, nihil aliud restat, quod Senecæ proprium possis vocare, quam quod hic in patris sepulchrum puer demittitur et quod ejus requirendi negotium Ulixes ipse suscepit. Ad quod commentum qua via pervenerit, facile est intellectu. Nam quum illud de pueri occultatione accepisset a Sophocle, fluctuantem autem inter filii et conjugis caritatem Andromachen Euripides induxisset, tum putavit horum affectuum multo graviorem et acriorem fore inter sese contentionem et pugnam, si hæc quoque atrox et dira ex duabus miserrimis rebus alterutram eligendi esset allata necessitas: quod inventum vehementer placere debebat homini in controversiis declamandis multum sine dubio volutato: quas hujusmodi plerumque prodigiosis perplexisque rerum condicionibus contineri videmus. Sed pergamus ad reliqua.

Potest igitur in iis quoque, quæ sequuntur, stulta quædam ejus novorum commentorum reprehendi cupido. Nam quod facit Helenam imperio Græcorum coactam Polyxenæ Pyrrhi ostentantem nuptias, ut illa nuptiali cultu ornata ad mortem ducatur, id equidem neque, unde sumpserit, scio neque, cur novarit, intelligo: præsertim quum discutiatur paullo post mendacium illud et ad nihilum recidat. Defuncta enim Helena mandato, postquam Andromachæ graviter accusanti plus multo miserationis suam quam invidiæ habere condicionem respondit, prorumpentibus ad extremum lacrimis, quod maneat virginem letum, aperte remotisque fallaciis ostendit. Qui nuntius ita a Polyxena accipitur, ut, quæ modo nuptias illas non secus ac mortem horruerat, jam ad mortem tam læto animo festinet, quam ab aliis celebrari nuptiæ solent: quæ tamen non ipsam ostendere, sed ab Andromacha significari videmus. Ita enim hic institutus est locus, ut, quum personæ in scenam productæ sint quattuor, Helena, Andromacha, Hecuba, Polyxena, ea, cujus hic maxime salus agatur quæque, proinde ut res ceciderit, maxime debeat commoveri, ejus nulla vox audiatur, omnia pro ea Andromacha peragat, cui, ne aliena sensa interpretandi munus susciperet, suus ac proprius dolor impedimento esse debebat. Sed ut hoc reprehensione non carebit, ita illa nonnihil laudis merentur, quum Hecuba filiæ casum deplorat, quorum et gravis est dolor et, ut apud Senecam, mira simplicitas:

Modo turba felix latera cingebat mea,
Lassabar in tot oscula et totum gregem
Dividere matrem. Sola nunc hæc est super
Votum comes levamen adflictæ quies.

Hæc totus Hecubæ fetus. Hac sola vocor
Jam voce mater.

v. 968—73.

Melius hæc, quam quum paullo post eadem, ubi sortitione captivarum facta Ulixi se obtigisse audivit, anilem in illum stomachum erumpit, hoc ipsum exsultans, quod, quum ceteris ducibus ætate et forma insignes virgines cessissent, tam vilem ille et exigui pretii prædam abstulerit. Venit interim Pyrrhus Polyxenamque abducit: quem abeuntem Hecuba diris precibus prosequitur.

Habentur a victoribus tandem expetita ad mortem corpora: restat, ut ipsæ cædes perpetrentur. Quas quidem cædes quum in scena repræsentari ratio ac consuetudo veteris tragoediæ prohiberet, a nuntio illo sollemni, qui ad hoc ipsum induci solebat, pluribus verbis exponuntur. Nec vero narrationes Senecæ magis quam cetera ejusdem probaverim: quæ quum omnibus Senecani generis vitiis laborent, tum vero maxime intolerabili quadam loquacitate offendunt, quod vitium hæc pars orationis nimirum vel maxime aspernatur ac respuit. Ita fit, ut, dum primum quidque gestit narrare, describere, expingere, dum nihil fere omittit, quin id obtrudere quodammodo oculis legentium conetur, plus sæpenumero in levissimis rebus operæ consumat, quam quantum in gravissimis collocare debebat, et in iis, quæ vulgaria sunt atque communia quæque longissime a poetica tractatione abhorrent, in illis quam diutissime hæreat et habitet, quæ autem rem continent ipsam quæque et decoris et gravitatis habent plurimum, ad hæc et spisse perveniat et, ubi pervenerit, nequaquam pro rei dignitate persequatur. Velut in pueri morte — ut jam ad has ipsas narrationes revertatur oratio — quot verbis turrim, unde dejicitur, quot verbis eorum, qui spectant, multitudinem turbamque depingit! Quam diligenter id agit, ut intelligatur, qua quisque in arbore consederit!

His collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco:
His alta rupes cujus in acumine
Erecta summo turba libravit pedes.
Hunc pinus illum laurus hunc fagus gerit.

v. 1088—92.

At Euripides idem hoc initium narrationis duobus absolvit versiculis (Hec. 521—22); neque enim ad maximas res pulcherrimasque festinanti in nugis vacat consistere.

Jam vero puer ipse quo animo mortem subit!

Nec gradu segni puer
Ad alta pergit moenia. Ut summa stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit:
Intrepidus animo qualis ingentis feræ
Parvus tenerque fetus et nondum potens
Sævire dente jam tamen tollit minas
Morsusque inanes temptat atque animis tumet.
Sic ille dextra prensus hostili puer.
Ferox superne moverat vulgum ac duces
Ipsumque Ulixen. Non flet e turba omnium
Qui fletur ac dum verba fatidici et preces
Concipit Ulixes vatis et sævos ciet
Ad sacra superos: sponte desiluit sua
In media Priami regna.
v. 1100—13.

Quem hic moveat ferox et plane stoicus puer? Fugit poetam ad lacrimas movendas ætatem illam esse accommodatam: ad admirationem vero excitandam non item idoneam. Nam ut omnino non omnes decent omnia, ita ne virtutes quidem omnes ætas admittit omnis estque animi habitus quidam excelsior et firmior, quam ut in primorum annorum imbecillitate facile possit exsistere. Satis magnum in puero illius ætatis, licet quamvis bonæ fuerit indolis, si quieto animo mortem tulisset, si nulla ejus exstitisset trepidatio, nulla usque ad ignavas preces demissa humilitas, si suppeditasset animus ad extrema illa cum matre, cum avia loquenda, si nihil, quod ad pietatem erga illas significandam pertineret, præ metu mortis omisisset: ista vero gladiatoria firmitas non expectantis mortem, sed provocantis neque fortiter tantum perferentis, sed amplexantis cum studio in adulta ætate ac virili robore admirationem habet, in hac vero tenera ac vix rudimenta virtutum capiente non fidem.

Pauca ad hanc narrationem Andromacha et quæ plus indignitatis habeant quam mæroris. Omnino non est eadem nunc Andromache atque in proximis erat: exstinctum est illud præclarum pietatis et amoris incendium; obduruisse eam et plane rigere propter malorum multitudinem dicas. Tametsi felix profecto, si dolendi sensum amisit, prædicanda jam mulier est; usque adeo neque muliebri imbecillitati neque materno dolori parcens nuntius fædissima collisi corporis descriptione aures ejus oppugnat:

Quos enim præceps locus
Reliquit artus? Ossa disjecta et gravi
Elisa casu signa clari corporis
Et ora et illas nobilis patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum,

Soluta cervix silicis impulsu caput
Ruptum cerebro penitus expresso. Jacet
Deforme corpus.
v. 1121—27.

Deprehendimus hic primum vitium id, cujus magnam sane posthac, quicquid processerimus, exemplorum copiam reperiemus. Semper enim hic talis est: parum habet lacrimas movisse, nisi etiam nauseam moverit; vel potius illas movere non curat, huic faciendæ operam dat plurimam. Qua in re quantum inter hunc intersit et Græcæ tragoediæ conditores, libet animadvertere. Illi enim diligentissime religiosissimeque servantes, ne quid foeditatis aut oculis aut auribus spectantium offerretur, neque narrationum atrocitates admittebant nisi et necessarias et breves et oculorum religioni ita inserviebant, ut raro cædes in scena repræsentarent, raro nisi velatum mortuum corpus ostenderent. Hic contra, cujus ea est verborum atrocitas, quem adeo narrationes suæ declarant foedissima quaque re maxime delectari, qua tandem aviditate, si non scriptæ tantummodo, sed actæ hæ fabulæ essent, in rem præsentem perducturum spectatores fuisse censemus? Non extremos morientium singultus, non prorumpentis sanguinis flumina, non ipsorum cadaverum aspectus remisisset, quin omnia cernerent, omnia manu propemodum tangerent.

Andromacha tamen satis lente et breviter:

Sic quoque est similis patri.
v. 1127.

Minus offendit quæ sequitur Polyxenæ mortis narratio. Nam neque tætrum illud et horridum, quod jam sæpius appellamus, pariter in hunc locum induxit et, quum dicit de animis eorum, qui spectantes facinus illud inducuntur, effundit ea, quæ propter acerbam vulgi morum notationem digna vel Taciti gravitate videantur:

Præceps ut altis cecidit e muris puer
Flevitque Achivum turba quod fecit nefas
Idem ille populus aliud ad facinus redit.
v. 1128—30.

Magna pars vulgi levis
Odit scelus spectatque nec Troes minus
Suum frequentant funus.
v. 1138—40.

Jam vero quum ad mortem virgo procedit, in habitu ejus describendo quid hoc simili aut mollius ad dolorem aut exquisitius ad suavitatem cogitari potest?

Ipsa dejectos gerit
Vultus pudore, sed tamen fulgent genæ
Magisque solito splendet extremus decor.
Ut esse Phoebi dulcius lumen solet
Jamjam cadentis astra cum repetunt vices
Premiturque dubius nocte vicina dies.
Stupet omne vulgus, ut fere cuncti magis
Peritura laudant.

v. 1147—54.

Tritum hoc nostri sæculi poetis simile: Seneca unde sumpserit, tam mehercule miror, quam qui ipse invenire potuerit. Atque utinam huic rei cetera similia fecisset neque hic idem peccasset, quod modo in pueri morte describenda peccavit! Est enim ita:

Audax virago non tulit retro gradum,
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox
Novumque monstrum est Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit:
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens. Nec tamen moriens adhuc
Deponit animos: cecidit ut Achilli gravem
Factura terram prona et irato impetu.

v. 1161—69.

Quam hic animus non decet virginem! Et quantum hæc Polyxena differt ab illa, quam Euripides expressit (Hec. 521—52), quam eum et imitans et æquans Ovidius! (Met. XIII, 449—80).

Animosa ab his quoque virgo et fortis inducitur, non ferox, non irata, non odio incensa; non contumaci mente vadit ad mortem, sed alta atque tranquilla, quippe quæ et necessariam mortem et illætabilem vitam videat: Priami se filiam esse numquam oblita juvenes ad aram sese tracturos, ut discedant neve manus suo corpori injiciant, orat, ut libera atque soluta descendat ad consanguineas umbras suorum: tum discindens amictum denudansque pulcherrimum pectus invito dolentique sacerdoti, sive cervicem ille ferire, sive jugulum voluerit, et cervicem et jugulum intrepida præbet; percussa vero cadit ita, non tamquam inimico sit gravem terram factura, sed ut in ipso moriendi casu virginalem decorem verecundiamque observet. Hæc quum legimus vel potius dicam intuemur — ita enim narrata sunt, ut non audire gesta, sed picta cernere videamur — quum illud quoque extremum adjicitur, perpetrato sacrificio, summo cum studio Græcos pariter Trojanosque certatim in mortuum corpus flores frondes ceteraque ornamenta congerere, ita credo moveri quispiam potest, ut vellet et ipse in ista spectantium turba fuisset, ut suis quoque muneribus amabilis illius et animosæ virginis funus

decoraret: usque adeo divinus in hac persona exprimenda artifex exstitit Euripides eoque temperamento in hac narratione venustatem cum dignitate conjunxit atque conflavit: quum et suave illud et jucundum, quod habet ætas tenera et præfulgens formæ decus, ita exprimat, ut fortis animi et elati granditas non obscuretur, et virtutis et magnanimitatis admirationem ita extollat, ut nihil de dolore misericordiaque immaturæ et acerbæ mortis detraxerit. Hoc Seneca tantum tamque præclarum exemplum quum plane neglexerit ac spreverit et eas quidem res omnes, quæ virginis essent personæ, omiserit, mortis tantummodo contemptionem et ferocia animum gestientem expresserit atque id ipsum absurde et cum quadam deformitate significarit: nonne eum non modo a nova inveniendi felicitate, sed etiam a vetera admirandi judicio afuisse longe satis perspicuum est?

Et quoniam explicata jam nobis hæc fabula est — nam extremis versibus ejus brevis tantummodo Hecubæ continetur querela — veniamus ad Phædram, quam alteram nobis proposueramus: cujus quum argumentum sit idem atque Euripidiæ ejus fabulæ, quæ Hippolytus inscribitur, hanc primum breviter adumbremus.

Incipit igitur a prologo, quo Venus poenas se ab Hippolyto negati sibi honoris sumpturam esse prædicit; eo consilio Phædram amore privigni jam pridem inflammasse; quem amorem usque ad id tempus occultum et abditum fuisse: jam vero cum exitio et Hippolyti et ipsius Phædræ prorupturum. Nam ne Phædræ quidem, etsi nihil causæ intercesserit, cur in eam nominatim irasceretur, esse parcituram neque eam tanti facere, ut non vel ejus pernicie viam sibi communiat ad ulciscendum. Procedit deinde Hippolytus famulorum caterva stipatus: qui, Diana carmine honorata signoque ejus corona imposita, quam ipse ex verbenis connexuit ejus modi, quas carpere fas non esset nisi puro homini et casto, postquam egregium ejusdem in sese favorem commemoravit, quæ illum unum omnium mortalium, quamquam oculis visendam se numquam præbuerit, sermonis tamen commercio sæpe dignetur, votum ad extremum facit, ut, quemadmodum ad illud tempus vitam degerit, eadem ratione eodemque studio ad exitum perducat. Quo tempore aggreditur eum senex quidam e famulis, aperte reprehendens, quod Veneris præsentissimum omnium numen potentissimumque non colat:. caveat deorum quemquam contemnat: nam immortales quoque, sicut mortales, honoratos gaudere, neglectos poenas expetere. Quod ille ita aspernatur, ut contemptim superbeque valere istam jubeat noctu tantummodo potentem deam. At ille statim et ipse eam adorat et, ut temeritati juvenis ignoscat, precatur.

Jam Phædra deportatur in scenam, languida stratis innixa, pallore et macie deformata miserabiliter. Adstat nutrix: quæ modo adflictam heræ valetudinem, modo suas ipsius miserias tædiumque ægræ assidendi deplorans æstuantem illam et latus identidem versantem sustinet ac fovet. Atque illa, dum Hippolytum unum mente et cogitatione intuetur, prout parum integræ mentis impetu fertur, modo aquam ex gelidis fontibus gestit haurire, modo crinibus effusis, armata venabulo, silvarum solitudines pererrare, modo equorum in arena littoris exercere ferociam. Ut vero illud quoque furens effudit: miseram se esse, quæ tam longe a sanitate mentis aberraverit; insanire enim et deorum ira esse prostratam; continuo, quasi pæne ipsa secretum prodiderit, obvoluto capite conticescit. Ibi nutrix, rogante choro, ut, quodnam tantum Phædræ malum acciderit, ne celet amplius amicas mulieres et fideles; se vero et antea multa fecisse respondet, ut in societatem herilis secreti admitteretur neque nunc, quamquam illa frustra ceciderint, laboranti dominæ defuturam. Ad Phædram igitur conversa omnibus eam precibus orat, ut sive sit morbus illud, quo laboret, sive quod aliud malum, patefaciat tandem et proferat in medium. Dure ad hæc et pæne superbe Phædra: quietem agat; quicquid erret, sibi totum errare, non illi; ubi vero illa supplices manus ad genua ejus protendit, pudore tandem veteris et fidelis famulæ victa obliquis primo verbis et ambiguis, post Hippolyti nomine a nutrice elato, aperte illius ipsius amore consumi se confitetur. Qua re audita perculsa pavore nutrix vivere se nolle proclamat amplius: quicumque sit vitæ præbitus exitus, avide rapturam, quandoquidem vel optimi homines inviti in tantas turpitudines possint incidere. At Phædra, ut semel funestum illud secretum patefecit, omnes suas cogitationes, omnia consilia, totum denique pectus ingenue recludit: multa se diu et acerba tulisse; multa agitasse cum animo suo; nam primo quidem onus amandi leviter ferre statuisse: ingravescens autem malum fortiter repugnando conatam exstinguere: sublata vero omni spe sanitatis atque sepulta, deliberatum sibi et constitutum fuisse infelicem et infamem cupiditatem, priusquam mortalis cujusquam auribus credidisset, cum vita simul abrumpere. Detestari exsecrarique eam, quæ prima tantum conceperit scelus, ut alieni viri commercio genialem torum pollueret. Nam quem illam animum gessisse, quam durum, quam ferreum, quæ, tanto flagitio suscepto, tamen rectis oculis posset intueri gravissima injuria adfectum virum neque tenebras perhorresceret, impuri sceleris adjutrices, neque tectum ipsum et parietes reformidaret, ne, quod

vidissent, domino enuntiarent! Unam rem esse, quæ tutos securosque præstet: ab omni labe puram et integram mentem. Improborum vero scelera, quamvis callide occultentur, eandem, qua omnia aperiantur, vetustatem ac diem in lucem producere. Hoc in numero numquam se futuram.

Contra nutrix, postquam ex primo terrore animos recepit, saluti dominæ quam pudicitiæ servire paratior, multa, cur Phædra sibi indulgeat, lenarum more disserere: quod amet, nihil inauditum accidisse, nihil præter consuetudinem, nihil dignum, quod morte puniatur. Venerem impetum in illam fecisse: cui instanti si leniter cesseris, facilem eam habeas et jucundam: sin autem restiteris contumaciter, superbam atque intractabilem. Deorum quoque amores fabulis celebrari: quin etiam Jovis stupra jactari: quos tamen versari in eodem honore quo antea neque ob eam causam aut hominum aut deorum pudere. Præterea paucas esse domos, quas non illicita aliquando conturbaverit Venus: sed eos errores non divulgari solere, sed, ut æquum sit, silentio premi. Proinde desistat de morte cogitare: sequatur adhortantem et ducentem deam: amare denique audeat! tenere se medicamenta multa et remedia, quibus in melius illud malum vertatur atque jucundius.

At Phædra neque his rationibus de sententia deducitur et, postquam addidit nutrix non hic opus esse superbia, sed Hippolyti animum explorandum esse quam primum, eo usque indignitate rei commovetur, ut in perpetuum eam de ista re tacere jubeat. In ordinem igitur coacta habere se quiddam ementitur, quo salvo dominæ pudore eripere eam ex præsenti malo possit. Cui cedit Phædra cunctabunda et usque ad extremum sollicita nec vero ante totam se tradit, quam illa nihil Hippolyto enuntiaturam se esse promisit.

Quod promissum quam bona fide servatum sit, brevi tempore cognoscit. Exauditur enim primo ex ædibus clamor vociferantis et nutricem objurgantis Hippolyti; quem clamorem simulatque audivit Phædra, statim omnia mala præsagiens peractum de sese esse clamat; mox irrumpit ipse sequente nutrice iratumque frustra placare conante. Ille vero primum in nutricem vehementer invehitur; tum in universum muliebre genus insitum odium perpetua oratione evomit: concludit autem ita, ut dicat, ne patrem omnium rerum faciat certiorem, jurejurando se ac fide teneri; spectare tamen perlubenter velle, quo tandem vultu sint adventum ejus exceptura. Qui ubi discessit, Phædra soluta stupore atque silentio, in quo ipso coram fuit defixa, exsecrata nutricem, cujus sedulitate perfidiaque pessum data sit, omniaque ejus consilia aspernata, postquam jusjurandum

catervam adegit omnia, quæ acta fuerint, silentio esse tecturam, excogitasse se dicit remedium, quo et fama sua et honestas generis liberorum incolumis servari possit. Interroganti choro, quod tandem insanabile malum moliatur, "moriar enim", inquit "sed alii quoque mortua ingens futura sum malum, ut sciat non jactandum sibi esse in meis miseriis particepsque earum factus superbus esse dediscat."

Comparatæ jam et instructæ insidiæ a Venere sunt. Tenetur undique laqueis Hippolytus circumstrictus et ita tenetur, ut non, quemadmodum servari possit, amplius cogitemus, sed, quem exitum sit habiturus, perhorrescamus. Nam quodcumque mortis perfugium videtur, id jurisjurandi religione sæptum atque occlusum est. Juravit nutrici Hippolytus nihil patri de mulierum consilio indicaturum: juravit etiam Phædræ caterva nullam de iis, quæ audiverint, vocem edituram. Jam unam Venus innocentem oppressit, dum aditum sibi patefacit ad ulciscendum: mox, ut ad ipsius, quem odit, sanguinem perveniat, extremam conjiciet petitionem, quo uno ictu pater simul occumbet et filius.

Ne multa: redeuntem Thesea domum gemitus planctusque catervæ excipiunt; quæ sit causa luctus, quærenti mortua conjux ostenditur. Cujus ex manu ut suspensam illam funestam tabulam deprehendit, in qua scripserat vim sibi ab Hippolyto esse illatam, gravissima ira incensus precatur a patre Neptuno, quoniam is sibi tria optata dedisset, eorum nunc unum filii interitu repræsentet. Accurrit interim filius: quem novitatem rei admirantem quærentemque, qua causa, quam modo luce fruentem viderit, eam nunc sua ipsius manu videat interfectam, duro et rigido vultu pater excipit nihilque ad rogata respondens communem vitæ humanæ condicionem conqueritur, semper sceleribus oppugnatam, semper infestam simulatione et insidiis, ne in proximorum quidem fide tuto quiescentem. Ille primum, quid hæc sibi velint, mirari, obsecrare, ut, cujus sceleris accusetur, cognoscat: illo vero prolato, ubi data est defendendi potestas, nihil ex iis, quibus probari innocentia sua posse videatur, tacitum relinquere: testificari anteactæ vitæ castitatem: demonstrare, quam sit incredibile, ut, cujus in tota præterita vita nullum facinus, nulla libido exstiterit, is subito tam immani, tam impuro scelere sese astringat. Qui etiam, quanta est in eo puritatis et castitatis conscientia, "aspice hanc lucem", inquit, "pater, terramque hanc circumlustra! his fruitur nemo, etiamsi maxime neges, qui me purius aut temperantius vivat." Ad extremum omnia sibi ipse mala imprecatur, si sceleris sit convictus. Sed frustra omnia sunt. Nam severitati morum foeda austeritatis simulatio, miraculo sceleris libidinis

magnitudo, jurisjurandi denique fidei Phædra opponitur et accusans et mortua. Tum miser nihil se proficere dicendo intelligens, ne autem patrem rei veritatis faciat certiorem, impediri se ratus dato nutrici jurejurando, conquestus acerbe quum a ceteris dis omnibus se esse desertum tum ne Dianam quidem tanta pietate cultam circumvento sibi et infamia flagranti succurrere, valere patriam terram jubet et in exsilium comitante æqualium turba proficiscitur.

At non irritæ ceciderant Thesei preces. Brevi enim intervallo adfertur nuntius, dum excedens patria Hippolytus in littore curru veheretur, Neptunum e ponto immanem beluam emisisse; cujus undique incursantis aspectu conterritos equos non voci, non habenis domini paruisse, mox excussum e curru lorisque implicatum per saxa truncosque cum foedissima corporis laceratione traxisse; adferri tunc lectica vixque etiamnum tenuem vitam agere. Quem quum Theseus, ut ex moribundo saltem confessio sceleris extorqueatur, adferri coram jubet, subito delapsa ex coelo Diana, quem in errorem inciderit, totiusque negotii ordinem exponit non sine gravissima temeritatis ejus et iracundiæ castigatione. Tum vero Hippolytum ipsum in conspectum allatum iniquitatem fatorum accusantem et cum magno ipsius quoque gemitu dolentem sublatum in perpetuum esse dulcissimum illud venandi consortium spe ultionis et æternæ post mortem memoriæ consolatur hortaturque, ut cum patre errore, non scelere lapso in gratiam redeat. Atque illa quidem in coelum redit, ne aspectu et anhelitu morientis polluatur: Hippolytus patrem piaculo cædis exsolvit: ipse in sinu amplexuque ejus luctu furentis frustraque in vitam revocantis exstinguitur.

De Euripide hactenus: nunc de Seneca videamus; cujus hæc est prima immutatio neque ea ad utriusque fabulæ dissimilitudinem significandam levis, quod non Hippolyti nomen, sed Phædræ tragoediæ præposuit. Tum prologus nullus; nimirum ob eam causam, quod nihil omnino hic habet negotii Venus.

Primum igitur Hippolytus inducitur, non, ut quem nuper audivimus, Dianam votis muneribusque honorans, sed in rebus venaticis ordinandis prudenter versans et gnaviter. Quæ ingressio tribus fere partibus continetur; quarum una habet descriptionem locorum regionumque, quas venando Hippolytus peragrabit, altera vero diversi habitus canum exprimuntur, tertia demum in Dianæ versatur laudibus, quæ si venantibus placido numine affuerit, prædam se reportaturum plenissimam sperat. Placet hic locus mirifice Kleinio; qui eum dulcissimam quandam venatoriam alacritatem et nescio quid priscum et Germanicum sonare ac præ se ferre contendit.

Ego nihil hic invenio, quod moveat exclamationes; nisi quod hi quattuor versus satis venusti videntur:

Fertur plaustro præda gementi.
Tum rostra canes sanguine multo
Rubicunda gerunt repetitque casas
Rustica longo turba triumpho.
v. 82—5.

Hippolyto venatum profecto Phædra cum nutrice producta, primum, quod hosti Theseo coacta nupserit, conqueritur; deinde indignatur eum una cum Pirithoo Proserpinæ rapiundæ causa descendisse ad inferos. Tum vero:

Sed major alius incubat mæstæ dolor.
Non me quies nocturna non altus sopor
Solvere curis; alitur et crescit malum
Et ardet intus qualis ætnæo vapor
Exundat antro.
v. 104—8.

Ita procedit ad amorem Hippolyti fatendum. At si ejus amore consumitur, non intelligo, cur maritum abesse tam graviter doleat: quo dolore adulteræ certe torqueri non solent. Jam generis infamiam tangit:

Quo tendis anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix tui me miseret: infando malo
Correpta pecoris efferum sævi ducem
Audax amasti. Torvus impatiens jugi
Adulter ille ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid: quis meas miseræ deus
Aut quis juvare Dædalus flammas queat?
v. 117—25.

Quam indecenter, quam foede! Non modo miseretur matris, sed ei etiam invidet! Videmus abjiciendam nobis esse omnem Euripidiæ Phædræ memoriam; hanc illis apud Petronium aut Apulejum matronis adgreges rectius.

Sed si parum pudica est Phædra, eo clarius in nutrice virtutis et doctrinæ lumen effulget. Est enim perfecta in Stoicis omnesque illius sectæ rationes et instituta melius multo quam pro tam humili sorte novit et tenet. Hanc fortuna Phædræ, quod miremur, et præsidio pudoris et adjumento libidinis dedit. Quæ tum quidem ad reprimendum amorem adhortatur dominam; quamquam haud ignorat, quanto cum periculo vera regibus dicantur; sed

Quemcunque dederit exitum casus feram:
Fortem facit vicina libertas senem.
v. 143—4.

Nova Phædræ virtus; occisura est nutricem, si quid liberius dixerit. Sed perseverans illa dominam a libidine deterrere non tamen rationibus utitur iis, quæ ex pudore et honestate ducuntur; non orat, ut conjugii sanctitatem, ut suam ipsius famam, ut liberorum honestatem respiciat: probe intelligit aliter cum hoc prodigio esse agendum eique non sceleris turpitudinem, sed poenæ periculum esse intentandum. Demonstrat igitur nihil esse, cur latere se posse tanto in scelere speret; quod si non pater ejus Minos resciverit, visurum tamen aut matris avum Apollinem aut Jovem; sin autem hos ipsos celare contigerit, at certe conscientia sceleris agitatam poenas daturam. Ac ne Phædra ignoret, quid rei factura sit:

Miscere thalamos patris et gnati apparas
Uteroque prolem capere confusam impio?
v. 176—7.

Illud nutrici cum Phædra commune est, quod non delectatur ambagibus, aperte semper et latine loquitur.

Ad hæc ut Phædra idem respondit, quod ait Medea apud Ovidium, videre se meliora, sed pejora sequi addiditque potentem esse deum Cupidinem, deum esse nutrix negat; fictum id esse a mortalibus, quo liberior sub falsi numinis titulo libido ipsorum et furor exerceretur. Qua tamen in re facile Phædræ concesserim, si de sententia non movetur; neque enim quæ a nutrice proferuntur argumenta, nimis acuta aut gravia sunt:

Ille per coelum volans
Proterva tenera tela molitur manu
Regnumque tantum minimus e superis habet.
v. 204—6.

Cupidine autem e coetu deorum ejecto de luxuria copiose disserit ex eaque omnia scelera profluxisse dicit, in modicis autem rebus temperatas etiam esse libidines. Concludit autem ita:

Quid deceat alto præditam solio vides:
Metue ac verere sceptra remeantis viri.
v. 221—2.

Nihil apud Euripidem Phædra, dum se ipsa revocat ad sanitatem, de dignitate sua regia: nihil quod quævis mulier cujuscunque sortis, quæ quidem in eandem inciderit calamitatem, non item aut possit aut debeat dicere. Quod hoc loco quasi præteriens notavi: nam et late res patet et suum ac proprium habebit locum.

Perseverat Phædra nihilominus, jam confidens, quod modo dolebat, numquam rediturum ex inferis conjugem: hac ipsa spe a nutrice extorta aliam multo improbiorem captat:

Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
v. 230.

Nihil causæ intelligo, cur Theseus amori conjugis ignoscat: nisi forte, quod incestus est, idcirco veniam habebit faciliorem. Incidit deinde in Hippolytum sermo:

Exosus omne feminæ nomen fugit,
Immitis annos cælibi vitæ dicat,
Connubia vitat: genus Amazonium scias.
v. 235—7.

Nihil Phædra Hippolyti in feminas odio movetur: odit? inquit, precibus flectam; ferus est? delenietur amore: fugiet? persequar: universum muliebre genus aversatur? pellicis igitur metu carebo: ruit præceps et cæca libidine. Et quantum inesset in ea pudoris, quamquam jam antea vidimus, addit hoc loco nonnulla, quibus mediocriter auget opinionem sui. Admonente enim nutrice, meminerit patris, "matris", inquit, "memini". (v. 247). Ita quam misericordia primum, tum invidia prosecuta est, eam nunc etiam exemplum sibi proponit. Non potest profecto progredi longius.

Ad extremum quum videt non defatigari nutricem, quin furori suo ac libidini resistat potius quam inserviat, commutata subito ratione, morituram se esse, ne pudicitia violetur, denuntiat. Nihil excogitare potuit callidius, nihil, quo certius caperetur Stoicorum præceptis imbuta femina. Quæ ut primum voluntariæ mortis facta mentio est, statim pavore simul et admiratione capta:

Moderare alumna mentis effrenæ impetus,
Animos coerce. Dignam ob hoc vita reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
v. 260—2.

Quum vero illa, quasi nihil audiverit, ad genus mortis eligendum accedit, continere se amplius non potest conceditque, si tam gravi furore teneatur, contemnendam famam potius esse quam vitam. Quamquam vel quum receptui canit, decus quoddam gravitatemque conservat. Occurrit enim illico, qua ad excusandam sese nitatur, sententia:

Contemne famam. Fama vix vero favet
Pejus merenti melior et pejor bono.
v. 274—5.

Pollicetur deinde juvenem sollicitandi gratia adituram.

Quod si volumus quærere, quidnam fuerit causæ, cur tantam nutricis inconstantiam poeta effingeret, id non sane penitus latebit. Nam probam quidem eam primus actus desiderabat et honestam, ut esset, cujus in consiliis spernendis Phædra furorem exprometet suum: quod nisi ita instituisset poeta, quam multa de vita moribusque præcepta perissent, quam multæ non natæ essent argutæ lepidæque sententiæ! Aliam vero procedens negotium requirebat, longe ab ista magnanimitate remotam et magis ex vulgari istius generis hominum nota et quæ neque pro amore dominæ turpitudinem neque scelus ac facinus pro salute detrectaret. Nutricis enim consiliis omnia postea diriguntur: illa Hippolytum temptat, ab illa dolus in eundem connectitur.

Sed temptandi illud negotium videamus quam bene perficiat. Omitto enim descriptionem furentis Phædræ verbosissimam: prætereo etiam illa, ubi Phædra in habitum venatricis ornatur. Illud igitur primum admirabile, quod nutrix Hippolyto aspecto, quum rem ipsam est aggressura, a Diana potissimum opem et auxilium precatur. Apparet ne Dianam quidem eandem apud Senecam esse atque apud Euripidem; quum illic virgo virginitati et coelibi vitæ faveat, hic in impurissimo lenocinio invocetur. Ecce autem conqueritur nutrix tam turpe negotium sibi esse mandatum:

> Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
> Audere, verum justa qui reges timet
> Deponat, omne pellat ex animo decus:
> Malus est minister regii imperii pudor.
> v. 435—8.

Mentitur: misericordia enim commota, non timore ad tale consilium descenderat. Instituitur deinde colloquium cum Hippolyto. Exspectamus, ut eadem fere dicat, quæ nutrix illa apud Euripidem: frequentissimum esse facinus stuprum; facillime posse occultari; ut laudet deinde formam Phædræ sensimque ad voluptatem juvenilem animum perducat. Nihil minus. Docta enim mulier et quæ audiverit ratione et ordine omnia esse agenda, quum hoc maxime videat obstare, ne Phædra amore potiatur, quod duram Hippolytus et abhorrentem a Venere rationem vitæ susceperit, primum omnium id judicium refutandum putat, ut severitate remota faciliorem se juvenis præstet. Ita hoc quidem loco nullum de re ipsa audietur verbum; instituetur autem de voluptaria vita et severa in utramque partem contentio. Ac nutrix quidem epicuream agit adhortaturque juvenem, ut severitatem vitæ Baccho et Venere moderetur. Quod ut confirmet, hæc affert similia:

Quid te coherces et necas rectam indolem?
Seges illa magnum fenus ægricolæ dabit
Quæcunque lætis tenera luxuriat satis
Arborque celso vertice evincet nemus
Quam non maligna cædit aut resecat manus.
v. 462—66.

Videtur non nimis esse paratus in hoc genere Seneca; qui, quum similibus res ageretur, nulla alia potuit excogitare, quam quæ in contrariam partem multo rectius et proferri possint et sint prolata sæpissime. Quæ sequuntur vero Gallica, ut ajunt, hieme frigidiora sunt: ubi res minime obscura probatur, Venere sublata, fore ut universum genus humanum intereat. (v. 477—489).

Ad hæc Hippolytus nihil esse dulcius quam rusticari, venari, aperto coelo vagari, in ripis dormire, pomis herbisque vesci, alia ejusmodi: nam, ne nutrix sola sibi pulchra ac beata videatur, ne hic quidem prorsus indoctus est summoque Pythagoreæ disciplinæ studio tenetur. Ad aureum deinde, quod vocatur, seculum transgressus, quibus gradibus ex illius innocentia et sanctitate ad hanc morum turpitudinem perventum sit, ostendit copiosissime. Mulieres vero, id quod caput erat, breviter sane perstringit; quas uno Medeæ exemplo prolato omnium malorum mortalibus esse duces contendit. Mox a nutrice coactus aperte fatetur:

Detestor omnis horreo fugio execror.
Sit ratio sit natura sit durus furor,
Odisse placuit. Ignibus junges aquas
Et amica ratibus ante promittit vada
Incerta Syrtis, ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem
Et ora damis blanda præbebunt lupi,
Quam victus animum feminæ mitem geram.
v. 574—581.

Adjicit quod unum ex his omnibus jure laudari posse arbitror:

Solamen unum matris amissæ fero
Odisse quod jam feminas omnes licet.
v. 586—587.

Duobus versiculis et pietatem optime fatetur et vitium.

Non possum, quin hoc loco orationem rursus ad Euripidem reflectam breviterque commonstrem, quantum in hoc ipso odio Hippolyti significando ab Euripide secesserit Seneca. Atque illud primum intellectum velim, Senecam quidem, cur isto odio præditum Hippolytum inducat, causam habere probabilem nullam; nam neque id odium tamquam vitiosum exponitur neque inde Veneris aliqua

contra Hippolytum conflatur simultas, qua oppressus ille, quamquam miserabiliter et acerbe, non tamen plane immerito pereat; novercæ autem amorem certe potest spernere, ut non universum muliebre genus aspernetur. Euripides contra, ut in nulla alia re, sic ne in hac quidem temere quicquam finxit. Nam nisi in deorum contumeliam conditam hanc fabulam putamus, necesse est statuamus ob illud odium ipsum et interisse Hippolytum et jure quodammodo interisse. Peccat enim etiam qui virtutem in nimium exercet; superbit non modo is, qui majora quam pro homine concupiscit, sed etiam qui plura quam pro homine sibi denegat; naturæ denique insultat qui, quas res illa generi humano aut utilitati aut voluptati voluit esse, earum aliquam temere fastidit atque contemnit. Sed non id tantum agit poeta, ut ne innocens oppressus esse videatur: illud etiam laborat, ut in eo ipso, in quo deliquerit Hippolytus, non tamen ultra favorem et misericordiam peccet. Atqui negari non potest, quin ejusmodi natura, qualis est Hippolyti, nonnihil habeat in sese, quod aut contemptum possit aut odium commovere: insanientis enim est et furiosi acerbissimum odium sine certa ac probabili causa suscipere: spernere autem eas leges, quarum in condicionem nati sumus, ægrotantis naturæ et mancæ quodammodo est. Quonam igitur pacto aufugit hunc scopulum Euripides? Nempe ita temperavit, ut, quod proprium et novum Hippolyti mores habebant, id initio quidem fabulæ ex ea maxime parte ostenderet, qua ad virtutis speciem proxime accedebat, ut induceret eum Dianæ tantummodo studiosissimum cultorem, præterea ad virginum similitudinem pure casteque viventem, muliebre genus non tam acerbe exagitantem quam refugientem tacito quodam judicio: odium vero illud tum denique facit evomentem, quum manifesto scelere deprehenso, præsente sordidissima ministra libidinis, præsente muliere incesto amore flagrante, non modo vetus et insitum odium expromere, sed etiam novum tunc ipsum suscipere cum venia posse videatur. At hoc odium si alieno loco declaratur, si nulla præparatione facta, si nulla justa causa prolata, quam frigidum ac pæne ineptum videatur, si non per se ipsum intelligitur, Seneca potest docere, poeta, ut in aliis locis multis, sic in hoc quoque documentum quam exemplum utilius. Sed ad propositum revertamur.

Nulla adhuc de Phædra facta est mentio, quum subito ipsa irrumpit idque congressus initium facit, ut statim tamquam exanimis corruat. Quæ sinu et amplexu privigni excepta — id ipsum credo voluerat — ut mentem primum, mox audaciam collegit, ad amorem fatendum hæsitanter et per ambages aggreditur. Sed nihil hic am-

bages proficiunt; frustra incertum mariti ex inferis reditum, frustra viduam se regnumque virile robur desiderans jactat; frustra etiam matris nomen, quo ille eam appellat, reformidat sibique vel sororis vel famulæ titulum vindicat: durus hic et immotus ad omnes blanditias eo usque inhumanissimæ simplicitatis procedit, ut amorem aperte confessæ:

Pectus insanum vapor
Amorque torret.
v. 648—9.

ita respondeat:

Amore nempe Thesei casto furis.
v. 653.

Quo illa responso tantum abest, ut a proposito absterreatur, ut id ipsum arripiat, quo tamquam transitu ad libidinem fatendam utatur: ita enim infit:

Hippolyte sic est: Thesei vultus amo
Illos priores quos tulit quondam puer.
v. 654—5.

Transit deinde ad formam ejus exprimendam, atque ita, ut perquam bona et elegans formarum existimatrix esse videatur:

Quis tum ille fulsit: presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat pudor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori
Tuæque Phoebes vultus aut Phoebi mei
Tuusve potius.
v. 659—63.

In te magis refulget incomptus decor
Et genitor in te totus. Et torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus:
In ore grajo scythicus apparet rigor.
v. 665—8.

Sed quam frigide, quam absone hæc descriptio tributa sit feminæ, quæ coram ipso, quem perit, loquatur, atque ei feminæ, quæ quum maxime furiosi amoris quasi torrente rapiatur, nemo erit, credo, qui non intelligat. Ad extremum Ariadne sorore ad parem, ut ipsius poetæ verba ponam, causam invocata, ad pedes Hippolyti devolvitur:

En supplex jacet
Adlapsa genibus regiæ proles domus,
Respersa nulla labe et intacta innocens.
Tibi mutor uni: certa descendi ad preces:

Finem hic dolori faciet aut vitæ dies.
Miserere amantis.
v. 674—79.

Tum demum ille omni errore discusso, quid hic tandem rei agatur, intelligit. Quem quidem locum graviter sane et eloquenter poeta tractavit:

Magne regnator deum
Tam lentus audis scelera, tam lentus vides?
Ecquando sæva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est?
v. 679—82.

Nisi quod illa, quæ paullo infra sunt, quum se quoque accusat Hippolytus ac se quoque fulmine cremari exoptat, quod matri ad stuprum placuerit, arcessitam magis quam veram pudoris speciem habere videbuntur. Præclara illa quoque Phædræ, quæ sequuntur, et nescio an sola ex omnibus iis, quæ per totam tragoediam loquitur, satis personæ dignitatem servantia:

Et ipsa nostræ fata cognosco domus:
Fugienda petimus sed mei non sum potens.
v. 706—7.

Extrema vero hujus loci notatu dignissima: quæ vel ob id ipsum vel quod mea narratione nihil ad brevitatem proficietur, integra subjecimus:

Ph. Iterum superbe genibus advolvor tuis.
Hipp. Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus. Quid hoc est? Etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis: merita supplicia exigat.
En impudicum crine contorto caput
Læva reflexi: justior numquam focis
Datus tuis est sanguis arquitenens dea.
Ph. Hippolyte nunc me compotem voti facis:
Sanas furentem: majus hoc voto meo est
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
Hipp. Abscede. Vive: ne quid exores et hic
Contactus ensis deserat castum latus.
Quis eluet me Tanais? Aut quæ barbaris
Mæotis undis pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus oceano pater
Tantum expiarit sceleris. O silvæ, o feræ.
v. 711—726.

Grandis et ornatus hic locus et, si ullus alius apud Senecam, laude dignissimus. Nullæ hic arcessitæ argutiæ, nulla inepta loqua-

citas; omnia in summa brevitate ardoris et ponderis plena. Longe vero optimum illud: "o silvæ, o feræ", quod quantam vim habeat, nemo erit quin sentiat, sentietur autem facilius quam explicabitur. Duo tamen sunt, quæ judicanti mihi nonnihil afferunt dubitationis plenaque me manu laudare cupientem reprimere me et adhibere moderationem cohortantur. Quorum unum est illud, quum beatam se prædicat Phædra, si amati juvenis manu occidi contigerit: quod quamquam plerisque maxime solet admirabile videri habetque, si per se ipsum consideraveris, nescio quid molle ac tenerum, tamen dubito vehementer, an ei naturæ atque iis moribus, quibus Phædram præditam videmus, parum hic sensus conveniat et congruat. Quid enim? Amor iste est appellandus an vesana libido et immanis quædam rabies, qua ita incensa feratur et occæcata, ut oblita pudoris, oblita decoris, non modo muliebri omni, verum etiam humano sensu proculcato, ipsa præsens præsenti offerat stuprum castissimo juveni, conjugis filio, eoque adversante ac detestante non abjiciat consilium, non redeat ad sanitatem, sed, tamquam expugnari et cogi amor possit, sic ad pedes ejus supplex abjecta et suam et illius et conjugis infamiam poscat? Omnino hæc libido in mulierem cadit nullam: quod si cadit in aliquam et si potest mulier cogitari, quæ usque adeo mulierem exuerit, ea ejusmodi erit profecto, quæ robustiorem et magis solidam expetat voluptatem, quam quæ ex morte ejus, quem amet, manibus oblata percipi possit. Mollioris hic sensus est animi et castioris longeque ab illa libidine et immanitate sejuncti. Alterum illud levius atque in ambigua fortasse ratione positum: ita tamen mihi videtur, non attinere Hippolytum, ut in eo summa morum sanctitas declaretur, eo usque progredi, ut sua manu novercam paret occidere. Licet enim multum justissimæ causæ doloris, multum juvenili animo et subito scelere stupenti concedas, si tamen ille dolor et humanitatis modum excedit et pietatem eam, quam parenti non minorem debet, quam quantum novercæ debet odium, plus et feritatis videtur habere et impietatis, quam ut ei personæ, cujus in natura et favore vis totius tragoediæ nitatur, satis commode tribui possit. Sed de hoc quidem loco satis dictum est.

Post discessum Hippolyti nutrix statim crimen et perniciem absenti parat; Phædram hortatur, ut imminenti periculo fortiter obviam eat scelerisque, quod ipsa cogitasset, ultro innocentem accuset: ipsa quasi in re manifesta adultero deprehenso magna voce magnoque tumultu civium fidem implorat; simul relictum a fugiente arripit gladium, futuri criminis argumentum. Nulla interim Phædræ neque repugnantis vox neque comprobantis auditur. Quod ita credo esse

interpretandum, ut suis consiliis destituta nutrici se totam tradiderit. Quod quidem ad atrocissimi sceleris invidiam a Phædra depellendam bene esset et sapienter institutum, nisi paullo post eandem illam Phædram, cujus consilii nutrix jecit fundamenta, id, quantum in ipsa est, exsequentem videremus. Quoniam igitur dici non potest, omnia per nutricem esse acta, Phædram ipsam quietem egisse, et quoniam illam quoque, etsi non audacia, malitia tamen certe hujus sceleris attingit, jure quæsituri videmur, quæ sit causa, quæ eam impellat, ulciscendi studium an periculi metus. Quam quæstionem ab Euripide ita, ut nuper vidimus, explicatam, ab Ovidio autem breviter tantum illatam:

> Judiciine metu magis offensane repulsæ?
> Met. XV, 503.

hic ne esse quidem suspicatur. Atqui de ingenio cujusque poetæ non minus ex iis, opinor, judicandum est, quæ præteriit, quam ex iis, quæ tractavit. Quid de hoc igitur dicamus, qui ejusmodi locum non attigerit, quo loco nullus neque ad argumentum tragoediæ explicandum sit gravior neque ad rationes animi humani penitus cognoscendas utilior? Idcirco perplexum omnino et ambiguum de moribus Phædræ judicium est; quam obscuritatem ea, quæ sequuntur, haud paullum adaugent.

Dolo autem illo instructo, ecce Theseus ex inferis redit. Qui a nutrice certior factus Phædræ mori esse obstinatum, ab ipsa frustra conatus, quid causæ consilio subsit, elicere, nutrici, nisi rem aperiat, ignes et tormenta minitatur. Tum Phædra vim sibi esse illatam ostendit: quis intulerit, quærenti relictum ab Hippolyto gladium tradit. Quem ille ubi filii esse agnovit, in fictos ejus mores simulatamque tristitiam vehementer invectus, graviter etiam de communi vitæ condicione fallacique rerum specie conquestus, ad extremum a patre Neptuno filii poenam precatur. Hoc igitur pacto circumventum Hippolytum fingit Seneca: cujus rationem ut non vehementer vituperaverim, ita ab Euripidis arte procul abesse contenderim. Apud illum enim omnia firmissimis necessitatis vinculis colligata: hæc fortuito magis et temere decurrunt. Quid enim, si Hippolytus patris adventu audito accurrisset? Si Theseus Phædræ non statim credidisset? si filium ei libuisset arcessere, ut aut audiret tamquam reum aut condemnaret tamquam nocentem? Quorum utrumlibet certe et potuit accidere et, si accidisset, alium rerum effecisset eventum.

Jam vero Hippolyti mortis narratio iisdem omnibus vitiis laborat, quæ in priore fabula recensenda propria in hoc genere Se-

necæ esse demonstravimus. Quæ ut aliquanto magis essent insignia, Ovidium imitando eumque tamquam in certamen artificii vocando perfecit. Imitatus vero est ita, ut, dum in singulis rebus insistit easque minutissime subtilissimeque describit, singulos versus Ovidii suis octonis aut denis expresserit; qua ratione prolixiora quidem omnia potuit reddere, pulchriora non potuit; tantumque abest, ut amplificando exornandoque aut gravius quicquam aut illustrius fecerit, quam jam ab Ovidio erat expressum, ut etiam et obscuretur nonnumquam res ipsa et debilitetur copia verborum. Accedit salebrosa quodammodo ac crebro subsistens oratio et quæ interdum ita se impediat ipsa, ut nisi rogatiuncula aliqua interjecta ab eo, cui narrari res fingitur, vix progredi longius possit; ut hic post inceptam maritimi illius monstri descriptionem hærenti nuntio Theseus succurrit:

Nunt. Pontus in terras ruit
Suumque monstrum sequitur. Os quassat tremor.
Thes. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
v. 1042—4.

Taurum vero illum nactus, cujus varietatem colorum nihil ad rem pertinere putaverant Euripides et Ovidius, ita omnes orationi habenas permittit, ut non minus præceps illa quam equi Hippolyti feratur. Ac ne foeditas illa requiratur, qua mirifice delectari Senecam diximus, videamus, quam studiose illa, quæ Ovidius de laceratione corporis Hippolyti dicit, expingendo dilataverit: Ovidii enim hæc sunt:

Excutior curru. Lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim partimque reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalari animam, nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses. Unumque erat omnia vulnus.
Met. XV, 524—9.

Seneca ita:

Præceps in ora fusus implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus.
v. 1094—5.

Late cruentat arva et inlisum caput
Scopulis resultat. Auferunt dumi comas
Et ora durus pulchra populatur lapis.
Moribunda celeres membra provolvunt rotæ
Peritque multo vulnere infelix decor.
Tandemque raptum truncus ambusta sude
Medium per inguen stipite erecto tenet

Paulumque domino currus adfixo stetit.
Hæsere bijuges vulnere et pariter moram
Dominumque rumpunt. v. 1102—11.

Quæ quum omnia tæterrima sunt, tum nescio an facetus ille in voce rumpendi lusus maxime animis nostris repugnet. Illud tamen laudabile, quod præter consuetudinem facit poeta — plus enim hic in inanimis rebus describendis versari quam in personarum moribus effingendis solet — sed in illo laudandus, quod Hippolytum agentem aliquid facit et loquentem:

Contra feroci gnatus insurgens minax
Vultu nec ora mutat et magnum intonat:
"Haud frangit animum vanus hic terror meum:
Nam mihi paternus vincere est tauros labor."
v. 1073—6.

Nonnihil etiam eo loco recreamur, quum, conclusa narratione — quamquam hæc quidem ipsa haud parva recreatio est — humanitatis tandem memorem vocem audimus:

Thes. O nimium potens,
Quanto parentes sanguinis vinclo tenes,
Natura. Quam te colimus inviti quoque.
Occidere volui noxium, amissum fleo.
v. 1123—6.

Jam ipsum exitum fabulæ tangimus; quem si in iis, quæ optime Seneca scripsit, posuero, non multum a vero discedam. Nam et quod falsam Thesei de filii moribus opinionem ita discuti fingit, ut Phædra ipsa, priusquam mortem sibi consciscat, suum scelus et illius innocentiam testetur, ad tragoediæ dignitatem accommodatum est satis; et versus ii, quibus morituræ sensus exprimuntur, partim ita sunt grandes ac graves, partim ea suavitate conditi, ut pæne in Ovidii domo nati esse videantur. Quorum si eos, qui maxime excellunt, attulerim, haud ingratum legentibus videor esse facturus.

O dure Theseu semper, o numquam ad tuos
Tuto reverse. Gnatus et genitor nece
Reditus tuos luere: pervertis domum
Amore semper conjugum aut odio nocens.
Hippolyte tales intuor vultus tuos
Talesque feci.
v. 1173—8.

Heu me. Quo tuus fugit decor
Oculique nostrum sidus? Exanimis jaces.
Ades parumper verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur. Hac manu poenas tibi
Solvam et nefando pectori ferrum inseram

Animaque Phædram pariter ac scelere exuam
Et te per undas perque tartareos lacus
Per Styga per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras: capitis exuvias cape
Laceræque frontis accipe abscisam comam.
Non licuit animos jungere, at certe licet
Junxisse fata.

v. 1182—93.

Audite Athenæ tuque funesta pater
Pejor noverca: falsa memoravi et nefas
Quod ipsa demens pectore insano hauseram
Mentita finxi. Vana punisti pater
Juvenisque castus crimine incesto jacet.
Pudicus insons recipe jam mores tuos.
O mors amoris una sedamen mali,
O mors pudoris maximum læsi decus
Confugimus ad te: pande placatos sinus.
Mucrone pectus inpium justo patet
Cruorque sancto solvit inferias viro.

v. 1200—1207.

Videmus morientem quoque hanc longe aliam esse atque eam, quam apud Euripidem vidimus. Hæc, ut semel depuduit, numquam resipiscit; amorem ad ultimum spirat eaque potius mente mortem occumbit, ut Hippolytum placet eumque scelere et infamia liberet, quam ut viro satisfiat, quem et amore violarit et calumnia interfectorem filii constituerit. Video hunc animum Phædræ morientis valde probari a Kleinio: equidem, tametsi de toto hoc genere amatorio, tragoediæ rationibus aptumne sit necne, vehementer dubitari potest, id omne omittam, morabor in eo, quod jam antea dixi, ea sentire ac loqui, quæ hoc loco Phædra sentiat et loquatur, non ejus esse amoris, quo quæ sit capta, ad stuprum et scelera feratur; alius cujusdam ac longe diversi generis esse, quod a veteribus poetis non ita sæpe tractatum a recentioribus ingeniis celebratur vel maxime. Quodsi divellamus hunc locum a ceteris hujus tragoediæ partibus, si obliviscamur, quid ante hoc tempus aut egerit Phædra aut dixerit, aut si novam aliquam nobis Phædram mente et cogitatione fingamus, in qua pudor aliquis insit et castitas, quæ fama et existimatione moveatur, tum omni ex parte absoluta hæc atque perfecta esse videantur. Qui nunc locus, ut separatus a ceteris sane laudabilis, ita conjunctus cum iis personæ parum conveniens videtur.

Phædræ autem morte enarrata enarrata jam fere tota tragoedia est. Nam de Thesei luctu — qui locus proximus est — quid attinet dicere? Qui primum, quasi, qua via ad mortem perveniatur, prorsus

ignoret, otiosus ipse et cessans deos implorat omnes, ut terra dehiscente recipiatur, ut demergatur ad inferos, ut acerbissimum quodque eorum, quæ ab impiis ibi sumantur, suppliciorum suscipiat; earumque rerum ubi nulla nimirum impetratur, tum vero, quod ne ille quidem apud Euripidem fecit Theseus, quem tamen non sua temeritas, sed error pæne fatalis oppressit, id hic facit, ut deos ipsos nefandis vocibus objurget:

Non movent divos preces.
At si rogarem scelera, quam proni forent.
v. 1251—2.

Jam vero ne foeditate illa, quam modo in narratione deprehendimus, in perpetuum defuncti esse videamur, en iisdem istis rursus obtundimur:

Thes. Huc huc reliquias vehite cari corporis
Pondusque et artus temere congestos date.
v. 1256—7.

Complectere artus quodque de gnato est super
Miserande mæsto pectore incumbens fove.
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone et errantes loco
Restitue partes.
v. 1263—7.

Durate trepidæ lugubri officio manus
Fletusque largos sistite, arentes genæ,
Dum membra nato genitor adnumerat suo.
v. 1271—3.

En hæc suprema dona genitoris cape
Sæpe efferendus.
v. 1282—3.

Extremo loco Phædræ gravem terram imprecatur.

Et quoniam explicata jam nobis tota Senecæ fabula est, si, quæ inter illam et Euripidis interesse videantur, velimus comprehendere, duo fere esse reperiemus, quibus summa earum dissimilitudo declaretur. Quorum alterum in moribus positum est; in quibus exprimendis Euripides quidem ita versatus est, ut, quantum natura ac ratio argumenti ferebat, et bonos eos atque honestos effingeret et ad animos hominum conciliandos quam maxime accommodatos. Itaque omnes ejus personæ in æquabili quadam benevolentia ac favore versantur; neque fere est ulla, cujus acerbissimos gravissimosque casus non justa ac debita misericordia prosequamur. Ignoscimus Phædræ, quæ adversus amorem invicta, pro fama denique pugnans ad scelus abripitur; ignoscimus Theseo, qui tum, quum caput filii

devovit, eo erat errore atque iis tenebris circumfusus, quæ humanæ mentis acie vix dispici possent. Hippolytum vero non modo ignoscendi facilitate, sed etiam amandi quadam caritate amplectimur: cujus ea est pudicitia et sanctitas morum, vix ut a purissimæ virginis rubore ac castimonia abhorreat; fides autem ac religio tanta, ut vel paternas exsecrationes subire quam jusjurandum violare maluerit. Quem tamen ita poeta omnibus rebus facit excellentem, ut non illud prætereat, quod ad institutum et quasi mentem hujus tragoediæ explicandam valere debet vel plurimum, quo tandem non modo fatorum nutu atque arbitrio, sed etiam hominis ipsius vitio vel debilitate sit factum, ut tam gravibus acerbisque casibus optimi et honestissimi homines affligerentur ideoque in eo, quem omnibus animi bonis exornet, tamen nonnullam in Venere aversanda confidentiæ superbiæque suspicionem relinquat. Quæ omnia contra facit Seneca. Qui quum ceteras personas ita habet comparatas, ut in nulla earum, incolumisne evadat an pereat, nimis nobis esse laborandum putemus — nam Phædra impura, impudica, proterva, in Theseo autem et temeritatis non levis et impietatis perquam gravis offensio — tum vero Hippolyti naturam et mores ita descripsit, ut vitium quidem ejus insulse et inscite significaret, vitium autem id esse nusquam aperte et diligenter ostenderet: ut interitus ejus nisi crudelitati et libidini deorum assignari non possit. Neque enim catervam, credo, audiemus, quum formosissimo cuique gravissima semper accidere demonstrat. Alterum vero illud, quod interesse dicebam, ad ipsius argumenti contexendi rationem pertinet. Singularis hic ac pæne divinus artifex Euripides; nihil casu factum inducitur, nihil fortunæ temeritati debitum; omnia sapientissime præparata ac præmunita, colligata vero atque inter sese connexa tam artis firmisque vinculis, ut, quicquid evenerit, ne potuisse quidem aliter evenire compareat. Illud vero maxime admirabile, quod, quum omnia quasi fixum quendam et præstabilitum cursum conficiant neque ullus subitis casibus et inopinatis relinquatur locus, tamen vel potius ob eam causam ipsam et attentos nos tenet et suspensos et sollicitos usque ad extremum. Apud Senecam contra concatenatio rerum solutior et laxior quodammodo, multa hic fortuito, multa sine causa, multa præter opinionem et fidem eveniunt. Unum est, in quo Senecæ rationem Euripidi præstare jure fortasse quispiam dixerit; quod apud hunc nullus, ut apud illum, ad nodum fabulæ solvendum intercedit deus. Quod quidem vitium effugere ei erat promptissimum, qui nullum aliud evitare curaverit.

Atque hactenus Euripidiæ tantum fabulæ rationem duximus; jam vero de origine nobis et exemplari Senecæ fabulæ quærentibus Sophoclis quoque Phædra est adsumenda. Quam utinam aut integram haberemus aut ita truncatam, ut de consilio ejus dumtaxat et universo rerum contextu suspicari aliquid probabiliter possemus! Cujus nunc, quæ exstant fragmenta, adeo minuta adeoque, quorsum quodque sit referendum, obscura atque ambigua sunt, ut somniandi quam interpretandi locupletiorem materiam præbere videantur. Contendit tamen Welckerus[1]) a Sophocle quoque inductam nutricem, cujus easdem fere monendi absterrendique fuisse partes, quas hæc apud Senecam sustinet; putat etiam Phædram similiter apud illum amorem Hippolyto ipsi coram esse confessam; quorum si recte utrumque conjecit, quamquam utrumque in magna dubitatione versatur, necesse est aut longe aliter hæc a Sophocle fuisse tractata, quam tractata videmus a Seneca, aut mediocrem in hac fabula eum fuisse artificem, quem in ceteris omnibus cognovimus summum. Sed ut istæ similitudines dubitationem habent, ita harum rerum dissimilitudo manifesta: primum scena illic Troezene, hic Athenis; tum apud illum Theseus domi est, ut clamore uxoris excitus accurrat, apud hunc cum Pirithoo profectus ad inferos; deinde de calumnia uxoris apud Sophoclem a Diana, apud Senecam a Phædra ipsa docetur.

A Sophocle igitur Senecam non multa sumpsisse verisimile est: ab Euripide vero quam pauca mutuatus sit, ex enarratis utriusque fabulis apparet. Quid ergo est? Nullum ad exemplar respexit, suis ex fontibus omnia hausit? Ille vero, licet in oeconomia, quæ vocatur, fabulæ constituenda suo maxime judicio usus sit, singulos certe locos multos et causas eorum et tamquam semina accepit ab Ovidio; cujus Phædræ illius, quæ in Heroidum libro exstat, (Her. IV.), hanc Senecæ audacter contenderim non modo simulacrum esse adumbratum, verum etiam expressam imaginem. Hinc illa Hippolyti formæ descriptio, quæ, quantopere a tragico genere discreparet, paullo ante significavimus; hinc Phædræ frequens de communi familiæ fato cogitatio, ubi matris præsertim prodigiosam libidinem crebrius, quam par erat, describit; hinc ejusdem in Theseum convicia, quod ille conjuge deserta Pirithoo se comitem adjunxerit; hinc denique illud ipsum, quod apud inferos abesse Theseus fingitur; in quibus ita Ovidium Seneca imitatus est, ut interdum non modo sententias easdem, sed verba pæne eadem reddiderit; id quod ex his utriusque locis comparatis facile intelligi potest:

[1]) Welcker, Griech. Trag. I, p. 394—402.

Candida vestis erat, præcincti flore capilli,
Flava verecundus tinxerat ora rubor:
Quemque vocant aliæ vultum rigidumque trucemque
Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.
Sint procul a nobis juvenes ut femina compti:
Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iste rigor positique sine arte capilli
Et levis egregio pulvis in ore decet.
Her. IV, 71—8.

Presserant vittæ comam
Et ora flavus tenera tinguebat pudor.
v. 659—60.

In te magis refulget incomptus decor.
v. 665.

In ore graio scythicus apparet rigor.
v. 668.

Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens.
v. 811—12.

Forsitan hunc generis fato reddamus amorem
Et Venus ex tota gente tributa petat.
ib. 53—4.

Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.
ib. 57—8.

Fatale miseræ matris agnosco malum.
v. 118.

Stirpem perosa Solis invisi Venus
Per nos catenas vindicat Martis sui.
v. 129—30.

Hoc quoque fatale est, Placuit domus una duabus.
Me tua forma capit. Capta parente soror.
ib. 63—4.

Ph. Te te soror quacumque siderea poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas,
Te genitor at me gnatus.
v. 671—4.

Fama . . velim quæras . . crimine nostra vacat.
ib. 18.

Tu nova servatæ carpes libamina famæ.
ib. 27.

Ph. Respersa nulla labe et intacta innocens.
Tibi mutor uni.
v. 675—6.

Tempore abest aberitque diu Neptunius heros,
Illum Perithoi detinet ora sui.
Præposuit Theseus, nisi nos manifesta negemus,
Perithoum Phædræ Perithoumque tibi.
ib. 109—12.

Amoris in me maximum regnum puto
Reditusque nullos metuo: non umquam amplius
Convexa tetigit supera qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.
v. 223—26.

Profugus en conjunx abest
Præstatque nuptæ quam solet Theseus fidem.
v. 96—7.

Atque etiam illius loci, ubi nutrix Hippolytum ad jucundiorem hilarioremque vitam hortatur, quem unum locum non timuerim confirmare apud Græcum tragoediæ scriptorem fuisse neminem, quippe quo ne digitum quidem transversum res ipsa procedat, ejus quoque tamquam initium et semen forsitan insit in his Ovidii versibus:

Quid juvat incinctæ studia exercere Dianæ
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie durabile non est:
Hæc reparat vires fessaque membra novat.
ib. 87—90.

Sed abeamus ab hac fabula et ad Medeam, quæ proxima erat, transeamus, si ante aliquid de Euripidia cognomine fabula dixerimus.

Multæ igitur Euripidis fabulæ in summa doctorum virorum contentione versantur; major tamen et gravior de nulla quam de hac ipsa orta dissensio est. Habet enim argumentum perquam anceps et lubricum; inducitur facinus magnum, atrox, immane, quod non modo a sensibus nostris, verum etiam ab ipsa natura abhorrere videatur; proponitur mulier viri ulciscendi causa suos ipsa interimens liberos. Quod quidem facinus non modo ita exponere, ut fieri potuisse, sed ut necessario ex ejus, quæ facit, natura et moribus ortum esse videatur et ex tanta rei atrocitate propriam illam tragoediæ delectationem elicere, profecto non mediocris artis, non vulgaris ingenii est. Non mirum igitur est, si, qui omnino in Euripide reprehendendo cum nimia cupiditate versantur, in hanc potissimum fabulam vehementissimum impetum fecere. Quibuscum ego aut ni-

hil aut certe non multum pugnabo: satis habebo, si reprehendendi studio omisso, quid præstantissimus poeta voluerit atque spectaverit, pro virili parte intelligere ac sentire potuero.

Ac primum illud cavendum est, ne quis forte credat amore inflammatam hic aliquam induci mulierem, qualem in Heroidum libro Medeam expressit Ovidius, aut quæ inter amorem et odium distracta, quod committit, subita et inconsulta perturbatione lapsa committat. Longe alia hujus Medeæ ratio est longeque diversa natura. Nusquam hanc aut, quod ex amore conjugis exciderit, querentem aut, ut pristina consuetudo renovetur, optantem, nedum supplicantem, videmus. Odio hæc solum flagrat atque eo constantissimo: injuriam sibi esse illatam, desertam se esse a viro et proditam, inimicis contemptui et ludibrio fore, id unum cogitat et sentit et in hac una re omnes cogitationes omnesque curas defixas habet, ut ab Iasone quam acerbissimum gravissimumque supplicium sumat. Habet hoc odium aliquid altum, aliquid magnificum, aliquid ex honestate admixtum; neque enim Iasonem magis quam mores ejus turpissimos odit neque sibi illatam injuriam gravius quam jus ipsum et fidem violatam dolet. Quod odium ut apud nostros homines minime probatur, sic apud veteres longe aliter de eo existimatum fuisse quis nescit? Apud quos ulcisci eum, a quo læsus sis, non mali hominis et perversi putabatur, sed viri fortis ac strenui. Accedit autem, quo justiore odio Medea commota videatur, summa in Iasone morum turpitudo et pravitas. Nihil hoc Iasone contemptius, nihil levius, nihil odiosius: qui postquam eam, cujus amore ex maximis periculis esset ereptus, nullo jurgio, nulla dissensione commotus, tantummodo quod ita magis e re videbatur, sic summa animi tranquillitate ejecit et exturbavit, jam per se ipsum turpissimum factum ea impudentia cumulat, ut et beneficia exprobranti non illi sese, sed Veneri salutem debere respondeat et, quum illa miserabilem suam et adflictam condicionem deplorat, non suam perfidiam, sed illius stultitiam accuset et, tamquam omnia illi optime amantissimeque providerit, ultro etiam gratiam sibi illam habere oportere defendat. Non tamen nimis durus ille quidem aut plane ferreus inducitur; immo vero, ut cetera animantia, ea quæ procreaverunt, amore quodam prosequuntur, sic hujus quoque nonnulla erga liberos cernitur caritas; atque etiam vehementer se amat et amplectitur, quod, cujus omnem spem, omnia vitæ consilia perverterit, eam tamen ab egestate et fame prohibiturum se esse testetur. Video esse, qui reprehendant Euripidem, quod tales effinxerit Iasonis mores: equidem neque unde exoriri possit odium tantum, quanto Medeam flagran-

tem videmus, intelligo, nisi quis læsum se esse arbitretur; neque qui læsa sibi videri potuisset æqua præsertim et sapiens mulier, quæ, si aut honestum aliquid in repudianda sese aut necessarium vir secutus esset, quietem se acturam fuisse testetur, nisi re vera gravem et atrocem injuriam accepisset; nec vero, a quo proficisci ejusmodi injuria potuisset, alium quemquam reperio, quam qui morum pravitate et turpitudine esset insignis.

Hoc igitur odio tam gravi, tam justo commota ulciscendi consilium capit; in quo primum quidem nihil ipsa de liberis aperte, Iasonem tantummodo et Creontem et totam ejus domum perversuram se esse minitatur. Moliri tamen tale aliquid et jamdudum secum ipsa meditari haud obscure significatur jam inde ab initio; quum modo ipsam, nondum palam productam, liberos audimus exsecrantem, modo nutrix trepida et exterrita pædagogum monet, subducat pueros et removeat diligenter a furente matre: eas voces jactare, eo vultu eos aspicere, ut vehementer sit pertimescendum, ne quid nefandum et horribile animo volvat. Mox vero illud secretum et occultum malum detegitur; palam et aperte profitetur liberos se esse interempturam, ut eo dolore animum viri contundat; adjungit etiam illud, quale sit facinus et quantum commissura, plane se intelligere ac perspicere, sed fixum sibi ac certum esse omnia potius perferre, quam ut in suis miseriis impune lætentur inimici. Non tamen cæca et improvida mente ad ulciscendum fertur: simulatione et dolo grassatur neque supplicii tantum sumendi, sed post sumptum supplicium fugiendi rationem init.

Primum igitur a Creonte, ut statim e finibus Corinthiorum excedat, pro imperio jubente, unius sibi diei spatium simulatis precibus extorquet. Quærenti autem quum maxime et dubitanti, si ex sententia consilium processerit, quo tandem fugam convertat, Ægeus rex Atheniensium commodissime supervenit; quem spe beneficiorum illectum jusjurandum sanctissimum adigit in suam fidem profugam excepturum neque inimicis umquam traditurum. Ita secura de perfugio, Iasonem, in quem modo acerbissimis contumeliis erat invecta, jam quasi animo mutato ad colloquium arcessit: ostendit tum demum, subsidente animi fervore, quam præclare ab illo sibi ac liberis esset consultum, plane sentire et agnoscere; sibi quoque æquum esse ignosci, si quid in eum muliebri dolore commota effudisset acerbius; illud unum orare atque obsecrare, ne communes liberos in exilium protrudi patiatur; quod quo facilius a Creonte, in quo sit ejus rei potestas, impetretur, habere in animo pueros cum donis ad Creusam filiam regis mittere. Quo loco jam tum cruciari eam et

angi propositi facinoris cogitatione declaratur: productis enim pueris, quum eos amplexus Iason, paternæ indulgens caritati, spem maturitatis, ut fit, et futuros honores commemorat, non potest illa se continere, quin, quam crudelis eos exitus maneat quamque a paternis votis diversus, secum ipsa tacita volvens et vultu et lacrimis mæstitiam prodat. Fallitur tamen Iason: mittuntur pueri cum donis, palla et corona, quas illa pestifero veneno tinxerat.

Postquam vero peracto mandato pueri sese domum receperunt, quum jam perficiendi facinoris tempus et discrimen adventat quumque illud, quod antea tamquam ex longinquo aspexerat, jam propius admotum et pæne subjectum oculis cernit, tum vero non exstinctus ille quidem, sed diu repressus et coercitus dolor maternus erumpit cupidissimeque carissima sibi filiorum corpora amplectens, quam sit matri acerbum et grave liberos occidere, tandem aliquando summis animi cruciatibus sentit. Agitatur tunc demum et labat constantissimus animus et quasi æstu quodam reciprocatus modo ad iracundiam assurgit, modo ad pietatem relabitur. Et jam plane mollita et fracta deficere se animum et deserere clamat, jam iram valere, valere pristinum consilium jubet. Sed pungit et stimulat atrocis injuriæ memoria; versatur ante oculos irridens et exsultans Iason; versatur etiam puerorum, si vitam produxerint, misera et adflicta condicio. Tum vero supplicii ejus, quod quum maxime sumitur, cogitatione et spectaculo pascitur; jam coronam capiti pellicis hærentem, jam venenatis ignibus deflagrantem virginem cernit. Ita ulciscendi voluptate delibata ad pristinum ingenium redit; victa jam pietas conclamatique pueri sunt.

Hæc agitanti ecce nuntius anhelans, ut procul inde sese abripiat ocius, clamat; Creusam et Creontem acerbissima morte consumptos; adproperare Iasonem dolore et ira furentem. Nulla mora interponitur: præcisam dubitationem, morituros utique liberos videt; suane an aliena manu, id tantum referre. Vadit ad perpetrandam cædem atque adeo repugnans et invita abstrahitur, quum ea extremis ejus verbis mæstitia, ea de omni reliqua vita desperatio declaratur, ut non ab alio poenas expetere, sed ipsa quum maxime solvere videatur. Pueris trucidatis adproperanti Iasoni et, ne quid in liberos a Corinthiis decernatur, exanimato metu, defuncta jam vita corpora ostendit; tum illi et scelus et sceleris auctorem aversanti improbitatem et perfidiam vicissim velociter exsultans objicit; humiliter et demisse roganti, ut attrectare sibi saltem et sepelire mortuos liceat, præcise negat, semet ipsam in Junonis quodam templo humaturam

eos declarat: tum curru alatis serpentibus juncto e conspectu sublimis abripitur.

Hæc est Euripidia hujus argumenti conformatio; cujus in fabula ut illud dubitari potest, omnesne perfectissimæ artis numeros compleat necne, ita, quæ sit ratio ejus, quæ mens, quæ sententia, luce mihi esse videtur clarius. Quid enim aliud poeta significat aut quid aliud hæc ipsa Medea liberorum luctu consumpta declarat, nisi, quum alia sint virorum, alia mulierum officia, si qua mulier constitutos suo generi fines migraverit et, qua ratione viri in rebus agendis utantur, ad eam sua consilia, sua facta direxerit, tum non modo ipsi, sed iis etiam, si qui cum ea sint conjuncti, maximas gravissimasque existere solere calamitates? Etenim ardentem quendam et in cupiditatibus quum vehementem tum pertinacem natura muliebrem animum procreavit, quo facilius incenderetur in iis incredibilis illa vis et facultas amandi, qua maritos, qua liberos, qua res domesticas omnes amplectuntur; quæ vis nisi iis esset ingenita tanta, quantam inesse in iis videmus, numquam profecto ea munera, quæ maxime ad generis humani salutem incolumitatemque pertinerent, tueri ac sustinere inducerent in animum, ut et pariendi liberos dolores et educandi nutriendique molestias et imperia virorum tolerandi servitutem non modo æquis, sed libentibus animis susciperent. Atque hæc vis muliebris animi quamdiu in illis affectibus, quibus homines hominibus maxime conciliantur, expromitur, ut in pietate et amore et misericordia, tum in naturæ, ut ita dicam, auctoritate sunt idque, quod illa voluit, agunt plurimarumque rerum et suavissimarum et universis hominibus et singulis sunt effectrices: eædem si naturam ducem aspernantur eumque ardorem, quem illa voluit esse beneficum et amantem, ad nocendi perdendique studium convertunt, ut acceptas injurias non, quod muliebre est, tolerare patienter, sed virorum more fortiter vindicare conentur, tum, quantum viris amandi caritate et constantia præstiterunt, tantum eos odii vi et pertinacia vincunt atque ita præcipites ad ulciscendi rapiuntur cupiditatem, ut, dummodo ei, quem oderint, vulnus infligant, quam graviter ipsæ lacerentur, pro nihilo habeant atque contemnant. Ita fit, ut numquam fere mulier muliebrem modum excedat, ut non eodem tempore humanitatis transsiliat. Quod ita esse quum et historiæ muliebrium furorum refertæ demonstrant et hæc vita ipsa quotidiana non ita raro confirmat, tum earum feminarum, quæ fabulis inducuntur, nulla aut illustrius ostendit aut atrocius quam Medea; quæ quum in amando usque eo processisset, ut propter illum, quem amabat, et filiæ et sororis nomen abjiceret, rursus injuria accepta ulciscendi cu-

piditate tam graviter exarsit, ut, dum odii magnitudinem explet, ne matrem quidem se esse meminisset. Perdidit hanc nimirum et prostravit muliebri dolori permixta virilis audacia: conciliat nobis et commendat et digniorem quodammodo tragoedia reddit, quod in tanta facinoris atrocitate tamen honestatis aliqua specie ducitur; miserabilem vero ea res præstat, quod et quum cogitat facinus et postquam perpetravit gravissimas poenas animi mærore et cruciatibus solvit. Admirationem tamen habet maxime: ita enim inter ceteras personas eminet, ita et Iasonem, turpem virum et illiberalem et levem, et Creusam, mulierem ejusmodi, quales solent esse, ex imbecillitate et venustate conjunctam, et ingenii et animi viribus antecedit, ut nihil humanum nisi dolores et miserias, cetera omnia divina habere videatur.

Sed revertamur ad Senecam; cujus in fabula exponenda, ut brevis sim, vehementer adhortatur me animus; propterea quod quum omnino molestum est morari diutius in eo, in quo, quod laudare aut probare possis, vix inveneris, tum multo molestius, si ad ejusmodi carmen transieris ex eo, cujus imagine et splendore capta adhuc mens et occupata teneatur.

Habet igitur hæc fabula, ut summas rerum fere easdem, ita sanguinem et colorem longe longeque Euripidi dissimilem. Nihil hic de omni rerum statu prædocemur; producitur statim insana et vecors Medea; testatur superos, testatur inferos deos, miratur quod sol nondum ex coelo deciderit, immane quoddam et horribile scelus patraturam se esse denuntiat. Neque enim, ut jam nunc, qualis sit, intelligatur, mulier hæc est irata, ferox, injuriam dolens, sed belua quædam immanis et importuna; neque est tantum ac non sibi ipsa quoque talis videtur:

Me conjugem optet, limen alienum expetat
Jam notus hospes, quoque non aliud queam
Pejus precari, liberos similes patri
Similesque matri.

v. 22—25.

Sed sceleratam se esse et perditam non est satis quod intelligit: gloriatur etiam et ad majora se scelera cohortatur:

Effera ignota horrida
Tremenda coelo pariter ac terris mala
Mens intus agitat, vulnera et cædem et vagum
Funus per artus. Levia memoravi nimis:
Hæc virgo feci, gravior exurgat dolor.
Majora jam me scelera post partus decent.

v. 45—50.

Atque hæc quidem sola: mox nutrice coram, hymenæo Iasonis et Creusæ audito, eodem fere modo bacchatur:

> Scelera te hortentur tua
> Et cuncta redeant. Inclitum regni decus
> Raptum et nefandæ virginis parvus comes
> Divisus ense funus ingestum patri
> Sparsumque ponto corpus et Peliæ senis
> Decocta aeno membra.
>
> v. 129—34.

Euripides hæc fere numquam attingit; Seneca studiose inculcat: nempe ille id agit, ut favor Medeæ et misericordia, hic ut odium et horror conflетur. Sed ecce repente nobis mutatur:

> Quid tamen Iason potuit alieni arbitri
> Jurisque factus? — Debuit ferro obviam
> Offerre pectus. — Melius, ah, melius dolor
> Furiose loquere. Si potest, vivat meus
> Ut fuit Iason, sin minus, vivat tamen
> Memorque nostri muneri parcat meo.
> Culpa est Creontis tota qui sceptro impotens
> Conjugia solvit quique genetricem abstrahit
> Gnatis et arto pignore adstrictam fidem
> Dirimit. Petatur solus hic, poenas luat
> Quas debet.
>
> v. 137—47.

Ejusdem mulieris hæc sunt et illa? Aut quæ est ista tanta tamque repentina mutatio, ut, quæ modo in foedissimorum scelerum recordatione exsultaverit, jam subito ita ad lenitatem et indulgentiam inclinet, ut summa injuria affecta ultro defendendi excusandique partes suscipiat? Nullam apud Euripidem, ut vidimus, Medea vocem emittit, quæ vel levissimam moveat suspicionem vigentis etiamnunc amoris. Quid ita? Quia est magni animi et fortis, eum, a quo injuriam acceperis, si ea cum insigni aliqua improbitate perfidiave sit conjuncta, ejus non modo caritatem, sed etiam memoriam caritatis penitus evellere; hoc vero muliebris imbecillitatis proprium est longeque a Medeæ firmitate constantiaque disjunctum, quem odisse propter injurias debeas, ejus amore et desiderio teneri. An non accepit Medea injuriam aut tam levem accepit, ut ignosci ei facile posset? Cur igitur ulciscitur tam acerbe? Cujus ultionis genus si fidem habiturum est, necesse est, quanta sit ejus immanitas, tantam odii videamus fuisse atrocitatem. Sed ad rem revertamur.

Monenti igitur nutrici, silentium adhibeat et cautionem neve aperte et præceps ad ulciscendum ruat, illa contra:

> Levis est dolor qui capere consilium potest
> Et clepere sese, magna non latitant mala.
> Libet ire contra.
>
> v. 155—7.

Adflictæ vero ipsius et desertæ condicionis admonenti:

> Medea superest, hic mare et terras vides
> Ferrumque et ignes et deos et fulmina.
>
> v. 166—7:

Supervenit Creo, qui ubi in exilium eam statim abire jussit, inducuntur perpetuæ illius et Medeæ orationes, quum ille scelera ejus et immanitatem, hæc multa sua et præclara in Iasonem Græciamque beneficia demonstrat. Ad extremum item, ut est apud Euripidem, fugiendi spatium petit:

> Per ego auspicatos regii thalami toros
> Per spes futuras perque regnorum status
> Fortuna varia dubia quos agitat vice,
> Precor: brevem largire fugienti moram,
> Dum extrema natis mater infigo oscula
> Fortasse moriens.
>
> v. 285—90.

Die vero illo impetrato, rursus vehementius pæne quam modo antea furit:

> Non rapidus amnis non procellosum mare
> Pontusve coro sævus aut vis ignium
> Adjuta flatu possit inhibere impetum
> Irasque nostras: sternam et evertam omnia.
>
> v. 414—17.
>
> Faciet hic, faciet dies
> Quod nullus umquam taceat. Invadam deos
> Et cuncta quatiam.
>
> v. 426—28.

Jam Iason adest ipse; qui ita inducitur:

> O dura fata semper et sortem asperam
> Cum sævit et cum parcit ex æquo mala
> Remedia quotiens invenit nobis deus
> Periculis pejora. Si vellem fidem
> Præstare meritis conjugis: leto fuit
> Caput obferendum, si mori nollem: fide
> Misero carendum. Non timor vicit fidem
> Sed trepida pietas: quippe sequeretur nece
> Proles parentem.

O sancta si coelum incolis
Justitia numen invoco ac testor tuum,
Gnati patrem vicere.
v. 434—44.

Medea contra, de misera exilii condicione acerbe invidioseque conquesta, adjecta vehementi beneficiorum suorum exprobratione, extrema oratione etiam ad preces descendit:

Per spes tuorum liberum et certum larem,
Per victa monstra, per manus pro te quibus
Numquam peperci perque præteritos metus,
Per coelum et undas conjugi testes mei
Miserere. Redde supplici felix vicem.
v. 481—85.

Illo vero timorem regum causante:

Est et hic major metus:
Medea. Nos confige. Certemus sine,
Sit pretium Iason.
v. 519—21.

Hortatur deinde, ut secum una aufugiat: qua spe dejecta ita iram erumpit:

Nunc summe toto Juppiter coelo tona,
Intende dextram. Vindices flammas para
Omnemque ruptis nubibus mundum quate.
Nec diligenti tela librentur manu
Vel me vel istum: quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit, non potest in nos tuum
Errare fulmen.
v. 534—40.

Jam ut liberi sibi comites fugæ concedantur, precata, quum ille vita se potius quam iis carere posse respondit, statim secum ipsa:

Sic gnatos amat,
Bene est: tenetur, vulneri patuit locus.
v. 552—3.

Simulat tamen, item ut apud Euripidem, placatam se esse: ubi vero abiit Iason:

Discessit. Itane est? Vadis oblitus mei
Et tot meorum facinorum? Excidimus tibi?
Numquam excidemus.
v. 563—65.

Ita ad ulciscendum accingitur.

Non displicet hic locus Kleinio; cui et Seneca laudandus videtur, quod in Iasonis persona honestatem dignitatemque conservarit,

et reprehendendus Euripides, quod abjectum eundem atque contemptum effinxerit. Nimirum hic quoque constanter suum quisque poeta propositum tenet: neque enim ille detrahere quicquam de facinoris hujus atrocitate potuit, nisi multum invidiæ a Medea in Iasonem transtulisset, neque hic rursus, ut immanitas Medeæ augeretur, rationem ullam habebat meliorem, quam ut justum illum et probum, non lædentem, sed læsum induceret. Illa vero alia est quæstio neque tamen, ut mihi quidem videtur, ad explicandum difficilis, utrius sit melius propositum ipsum aut uter sit consideratior poeta atque prudentior, isne qui credibilem conetur efficere rem, quæ agatur, an qui incredibilem, isne qui misericordiam lacrimasque commoveat, an qui odio nos et horrore perfundat, qui hominem denique, an qui monstrum in scena proponat.

Et monstrum quidem hanc esse quo melius intelligatur, animadvertamus paullisper, quemadmodum incidat in illam ipsam liberos occidendi cogitationem. Incidit enim in illud consilium, non capit; neque diu multumque secum ipsa meditata ad illud facinus accedit, sed casu quodam extrinsecus oblatum nihil amplius quam arripit. Magnum hic poetæ et gravem errorem offendimus; neque enim tam prona ad atrocissima quæque natura mortalium est, ut tanti sceleris et semen simul existat et maturitas. Paullatim irrepit illud malum sensimque se in animum aversantis primo et horrescentis insinuat; mox familiare factum et assuetum, quum aut occasio sollicitavit aut incubuit necessitas, tum denique apertius invadit et jam adultum, jam majus, quam cui resisti possit, occupat animum præcipitemque ad rem cogitatam detrudit et rapit.

Huic vero quam facile incidit scelus, tam facile excidisse quoque videtur. Jam enim nulli alii rei vacat quam venenis et carminibus, quorum descriptione versus complentur non minus ducenti. Ac primum quidem a nutrice narratur: corripuisse se heram in intimam partem domus ibique, Hecate implorata convocatoque omni serpentium genere, venena innumerabilia concoxisse: quorum qua ex regione sit quodque collectum, diligenter ostenditur. Mox ipsa prosilit furens; evocat umbras infernas, implorat carminibus Hecaten: ad extremum vi et multitudine venenorum gloriatur:

Habeo flammas
Usto tauri gutture raptas,
Habeo mediæ dona Chimæræ
Quæ permixto felle Medusæ
Tacitum jussi servare malum.

v. 835—39.

Considit hæc tandem tempestas et furor, quum liberi cum donis mittuntur.

Et quanta est ista quamque magnifica magicarum artium pompa, vix risum possis tenere, quum videas, quam negligenter plane poeta et quasi præteriens narrationem Creontis et Creusæ mortis abjecerit:

Nunt. Periere cuncta, concidit regni status.
Gnata atque genitor cinere permixto jacent.
Cho. Qua fraude capti?
Nunt. Qua solent reges capi.
Donis.
Cho. In illis esse quis potuit dolus?
Nunt. Et ipse miror vixque jam facto malo
Potuisse fieri credo.
Cho. Quis cladis modus?
Nunt. Avidus per omnem regiæ partem furit
Quasi jussus ignis: jam domus tota occidit,
Urbi timetur.
Cho. Unda flammas opprimat.
Nunt. Et hoc in ista clade mirandum accidit;
Alit unda flammas quoque prohibetur magis,
Magis ardet ignis, ipsa præsidia occupat.
v. 887—98.

Hæc habuit Seneca, quæ de illo horribili casu narraret; quem contra copiosissime describit Euripides. At quæ descriptio! Quam pulchra, quam illustris, quam miserabilis! Habebat hic profecto Seneca, quod imitaretur vel potius quod corrumperet, nisi vires jam omnes in istis carminibus venenisque consumpsisset. Facillimum tamen est judicare, si summam aliquam alicujus potentiam significare velis, ea utrum majorem et grandiorem speciem sit habitura, si de re præparanda dixeris multa, de re effecta festinanter et breviter, an si de illa pauca, de hac cum omni gravitate et copia.

Pervenimus jam ad locum eum, quem, si omnino hujus tragoediæ genere ipso et ratione delectemur, necesse est admiremur unum omnium vel maxime. In quo ea vis est, is ardor, is torrens furentis cujusdam et vix sui compotis eloquentiæ, ut, licet repugnes, licet reclames, abripiare tamen invitus et, si non admiratione, certe horrore, et stupore tenearis. Sed Medeam ipsam audiamus, quum nutrici fugam suadenti respondet:

Egone ut recedam? Si profugissem prius:
Ad hoc redirem. Nuptias specto novas.
v. 901—902.

Tam vero:

Quid anime cessas? Sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista qua gaudes quota est?
Amas adhuc furiosa si satis est tibi
Cælebs Iason: quære poenarum genus
Haut usitatum jamque sic temet para:
Fas omne cedat, abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est quam ferunt puræ manus:
Incumbe in iras teque languentem excita.

v. 903—10.

Quid manus poterant rudes
Audere magnum? Quid puellaris furor?
Medea nunc sum: crevit ingenium malis.
Juvat juvat rapuisse fraternum caput,
Artus juvat secuisse et arcano patrem
Spoliasse sacro, juvat in exitium senis
Armasse natas.

v. 916—22.

Leænam dicas cæsæ jam pecudis lambentem reliquias sanguinis, ut languescentem famem ad novas cædes inflammet.

Jam animum ad liberorum cædem deflectit:

Ex pælice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet. Quicquid ex illo tuum est,
Creusa peperit. Placuit hoc poenæ genus
Meritoque placuit: ultimum, agnosco, scelus
Anime parandum est. Liberi quondam mei
Vos pro paternis sceleribus poenas date.

v. 928—33.

Sed, ut illa Græca Medea, hæc quoque labat paullisper:

Quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, est majus scelus
Medea mater.

v. 940—42.

Sunt innocentes fateor: et frater fuit.

v. 943.

Jam plane molliri et frangi videtur:

Huc cara proles, unicum adflictæ domus
Solamen, huc vos ferte et infusos mihi
Conjungite artus. Habeat incolumes pater
Dum et mater habeat.

v. 953—56.

Mox eos perisse jam sibi et instare exilium cogitat: multoque vehementius exardescit:

Utinam superbæ turba Tantalidos meo
Exisset utero bisque septenos parens
Gnatos tulissem. Sterilis in poenas fui.
v. 962—4.

Exsurgit furiarum umbrarumque ex inferis turba; in quibus fratrem agnoscens:

Cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? Frater est. Poenas petit.
Dabimus, sed omnes. Fige luminibus faces.
Lania. Perure. Pectus en furiis patet. —
Discedere a me frater ultrices deas
Manesque ad imos ire securas jube:
Mihi me relinque et utere hac frater manu
Quæ strinxit ensem. Victima manes tuos
Placamus ista.
v. 971—9.

Ita uno ex pueris occiso, audito strepitu armorum, summa tecta conscendit. Audiamus, quam ibi lætetur, quam exsultet:

Jam jam recepi sceptra germanum patrem
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediere regna. Rapta virginitas redit.
O placida tandem numina. O festum diem.
O nuptialem.
v. 990—4.

Alterum deinde puerum invadens iterum pietate retinetur: ubi vero adproperantem Iasonem conspexit, statim ad pristinam feritatem redit:

Voluptas magna me invitam subit
Et ecce crescit. Derat hoc unum mihi,
Spectator iste. Nihil adhuc facti reor,
Quicquid sine isto fecimus sceleris, perit.
v. 999—1002.

Ille adferri ignes, incendi domum jubet, quum Medea sublimis in tecto alterius pueri mortuum corpus, alterius pectori gladium suum intentatum ostendit. Convertitur pater ad preces; illa vero:

Ut duos perimam: tamen
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnunc latet,
Scrutabor ense viscera et ferro extraham.
v. 1018—21.

Vix credas addi aliquid huic immanitati posse: additur tamen:

Ias. Jam perage coeptum facinus — haut ultra precor —
Moramque saltem supplicis dona meis.

Med. Perfruere lento scelere, ne propera dolor.
Meus dies est: tempore accepto utimur.
v. 1022—25.

Occiso tandem puero et utroque corpore ante pedes patris projecto currum illum serpentibus junctum ascendit. Quam per aera fugientem liberis orbatus Iason respiciens dignam Medea, dignam hac tragoedia vocem emittit:

Per alta vade spatia sublimi ætheris.
Testare nullos esse qua veheris deos.
v. 1034—35.

Sed satis jam diu in hac fabula morati sumus; a qua priusquam discedamus, illud unum adjectum velim, ut Euripidia illa Medea ab ea, quæ apud Ovidium est, longissime distet, ita hanc Senecæ præter immanitatem feritatemque ejusdem pæne germanam videri. Eadem enim in utraque amoris odiique vicissitudo; eadem præteritorum scelerum commemoratio, quæ et hæc et illa præsenti calamitate divinitus vindicari putat; ad preces quoque similiter se utraque submittit. Tum quod Seneca fingit hymenæum Iasoni et Creusæ cantatum ad aures Medeæ accidere eoque etiam vehementius dolorem ejus exacerbari, item ex Ovidio sumptum videtur:

Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant,
Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba,
Pertimui, nec adhuc tantum scelus esse putabam.
Her. XII, 137—41.

Med. Occidimus, aures pepulit hymenæus meas.
Vix ipsa tantum vix adhuc credo malum.
v. 116—17.

Accedit singulorum quoque sensuum similitudo; quorum unum tantummodo proferam:

Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum totiens esse coacta nocens.
ib. 131—2.

Omnes conjugem infamem arguant:
Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.
v. 504—6.

Proxima igitur fabula est Hercules Furens: cui quæ Euripidia ejusdem nominis respondet, in hunc modum composita est.

Hercules quum ad inferos Cerberum rapiendi causa descendit, apud Creontem socerum, qui eo tempore Thebis regnabat, Megaram conjugem cum filiis et Amphitryonem parentem reliquerat. Absente vero illo Lycus humili loco natus per dissensiones Thebanorum regnum invadit, Creontem filiosque ejus interficit: tum novis sceleribus impunitatem priorum quærens cunctæ Herculeæ domus ruinam parat. Quo illi metu perterriti ad deorum tutelam confugiunt; sedent aram complexi, senex Amphitryon cum nuru et parvulis nepotibus, imbecilla ac miserabilis turba. Jam multos dies asperitatem coeli omniumque rerum inopiam tolerant; non in fuga spes, non in precibus; terret armata custodia, terret durus regis et inhumanus animus. Ac Megara quidem moriendum quam primum censet; contra Amphitryon cunctandum etiamnunc, si qua forte ex improviso salus ostendatur: quum pueri interea, feliciter rerum ignari, patrem identidem appellant, patrem, quicquid increpuerunt fores, redisse credunt.

Jam Lycus ipse inducitur: qui insolenter miratus, qua tandem spe in vita morentur, tum Herculis virtutem, qua una confisi videntur, maligna oratione detrectare conatus, ubi ab Amphitryone cum multa acerbitate refutatus est, usque adeo ira incenditur, ut allatis lignis vivos supplices comburi jubeat. Tum vero post discessum ejus ne Amphitryon quidem recusat, quin exstinctam jam omnem spem esse concedat; incendit insuper Megara, modo Herculis laudes, modo ipsius memorans hortansque, ut, parata facili et cum gloria morte, ne miseram potius atque infamem exspectent. Ita Lyco, quum iterum venit, mori paratos se esse ostendunt; eam extremam veniam petunt, ut, priusquam omnes una occumbant, pueros sibi liceat funebri cultu ornare. Impetrant; discedit Lycus; producuntur pueri atrati vittisque victimarum more redimiti; quos Megara lacrimis perfundens inanes Herculis suasque cogitationes revolvit, quum ille honores iis et regna, ipsa conjugum nobilitatem nuptiarumque gaudia destinaret. Jam omni salute desperata Herculis umbram ad auxilium implorat; jam Amphitryon quoque catervam extremum illud adlocutus est: quum subito Herculem ipsum vident appropinquantem. Stupent primo et vix oculis credunt; mox lætitia exsultantes certatim salutant: puerorum ornatum mirantem, quantum periculum adierint, quo in statu res sint, breviter docent. Ille statim ad cædem tyranni ruens admonitus a patre, ne unus cum multis temere pugnam committat, intus potius exceptum solum et imprudentem opprimat, domum cum uxore et liberis intrat: quum hi propter recentem terrorem semel comprehensum lacinio patrem

nondum dimittunt: qua re commotus hanc vocem effundit: ceteris rebus multum inter se distare mortales, liberorum amore pariter omnes teneri.

Redeunti Lyco Amphitryon dicit Megaram cum liberis ad aram Vestæ confugisse; ipse intret domum — nam sibi religiosum esse — supplicesque abducat. Intrat ille et quidem sibi ipse gratulans, quod tandem omnium malorum requiem et portum aspexerit. Quem ubi chorus facto post strepitum ejulatumque silentio interfectum jam esse cognovit, carmen ad Herculis victoriam celebrandam exorsus, subito horrore perfusus conticescit, terribilem supra culmen tecti faciem conspicatus, Insania comitatam Iridem. Quæ trepidanti choro a Junone se esse missam ostendit, ut Herculi pestem ac perniciem inferret: quem antea fatis tectum, quoad illo apud inferos labore perfungeretur, nunc opportunum nactas brevique tempore perfecturas, ut præclaram illam ex inferis palmam nefandis suorum cædibus polluat. Tum Insaniam, ut rem imperatam strenue perficiat, hortatur. Illa aspernari primo atque refugere, donec, gravius Iride instante, Solem testata invitam se optimum virum perculsuram, Iridem redire ad coelum jubet, ipsa præceps, tempestatis aut fulminis ritu, in Herculis se domum immittit. Fit ingens procella, sternuntur ædes et corruunt; insequitur nuntius Herculem repentino furore correptum, dum sibi Eurystheum oppugnare videtur, suam ipsius conjugem et liberos occidisse; in patrem quoque impetum facere conatum, nisi objecta Minervæ similis imago saxo pectus ejus tam graviter percussisset, ut exanimem collapsum statim artissimus sopor occupaverit.

Aperitur tum domus: conspicitur ipse, nondum sopore excusso, vinctus ad prostratam columnam jacens. Accedit ad hunc chorus modo fuga dispersus sedatisque vocibus miserabilem casum deplorat. Ubi vero expergiscitur, exterriti rursus omnes diffugiunt trepidique paullisper distant; donec pater firmato tandem animo accedit mirantique vincula, miranti omnium fugam, quantum mali imprudens et furens commiserit, pedetemptim repugnanterque significat. Quod simulatque ille intellexit, pudore confusus, oppressus mæstitia, mortem statim tamquam unum infamiæ miseriarumque perfugium meditatur. Hoc ipso tempore advenit Theseus: qui quum, cognita Thebanorum seditione, eo consilio Athenis profectus esset, ut amico, cujus beneficio ad superos redisset, ipse vicissim laboranti succurreret, postquam eum illo periculo defunctum, alio vero præter opinionem malo adflictum videt, in eo quoque levando consolandoque fidelissimum amantissimumque se præstat. Ac primum quidem propter pu-

derem caput obvolventem orat et obsecrat, ut amicis aspectum suum impertiat nevè dextram dextræ conjungere recuset; negatque se piaculi contagionem reformidare, quam ab amico ad amicum nullam pervenire confirmat; tum omnibus modis animum ejus a præsenti calamitate traducit et transfert ad pristinam gloriam; objurgationes etiam adhibet, quum nimis dolori succumbentem et plane fractum abjectumque videt. Ita Hercules paullatim ad pristinam animi magnitudinem erectus, postquam illud quoque consideravit ignaviæ sibi homines esse versuros, si, contra labores invictus, dolori frangendum se traderet, moriendi consilio abjecto, cædis expiandæ causa Athenas cum Theseo proficiscitur.

Sunt qui in hoc argumento Euripidem ita reprehendant, ut Junonis interventu in duas partes divulsam et discretam esse fabulam dicant iidemque Senecam collaudent, quod Junonis prologo præmisso unum et perpetuum ordinem rerum effecerit. In quo vehementer miror aut vitium id viris doctis esse visum, quod nullum est, aut remedium, quod tam inutile esset et vanum, quam est supervacaneum. Nihil equidem in hac tragoedia laxum, nihil dissolutum, nihil parum cum toto cohærens invenio; cujus omnes e contrario partes mirifice consentiunt et conspirant ad mobilitatem fortunæ humanarumque rerum vicissitudines declarandas. Abest Hercules magnum laborem et arduum perfecturus: interea sui ad extremum discrimen vocantur: jam inibi est, jam pæne jugulis eorum inimicus gladius admovetur, quum adest, ingenti gloria splendens, occidit tyrannum, suos salvos recuperat. Quid tum felicius illo, quid gloriosius? At eo ipso tempore, ab inimico numine ad insaniam pulsus, quibus paullo ante exspectatissimus optatissimusque venit, quos modo ex morte virtute servavit, eos jam suamet ipse manu trucidat. Una igitur hujus argumenti sententia est, unus est, qui primas partes agit, unus, ad cujus salutem omnia referuntur, quam cum suorum salute habet conjunctam. Nam quod abest Hercules in prima parte tragoediæ, spiritu tamen ejus et mente incensa sunt omnia. Hujus exspectatione et memoria Amphitryonis sustinetur senectus: hujus recordatione et gloria Megara ad virtutem incenditur; hujus virtus et terror tyrannum ipsum invidia et metu cruciatum exagitat neque ante consistere sinit, quam toto scelerum spatio percurso ad debitam poenam tamquam ad metam pervenerit. Jam vero ille Junonis interventus quid tandem admirationis aut reprehensionis habet? An de Hercule possumus cogitare, ut non eodem tempore cogitemus de Junone? Illud enim odium ipsum, quo arsisse Juno in Herculem fingitur, ita eos conjunxit et copulavit, ut hæc ab illo

separari non magis possit, quam labor a virtute, quam a fortitudine pericula, quam a gloria denique disjungi potest invidia. Exercet autem odium illud sic, non ut indictum bellum gerat et apertum, sed ut insidiandi semper occasiones speculetur assidueque in tergo ejus hærens, quicquid aut Jupiter conniverit aut ipse parum caverit, tum ex occulto in fortunas ejus invadat. Hujus igitur odii rationi hic quoque casus est accommodatus; qui ab ipsa re, quæ agitur, alienus et quasi extrinsecus allatus non debet videri, propterea quod Herculis ipsius nascendi vivendique condicione continetur: præparari autem et prædici idcirco non debuit, ut retineretur dolosum illud et improvisum Junonis in inimicitiis cum Hercule gerendis. Age vero si locum illum a media parte tragoediæ poeta transtulisset ad primam, si Junonem in prologo fecisset, ut Seneca fecit, iram evomentem, detegentem consilia, nonne videmus, quam multa ex ea commutatione et quam gravia fuerint incommoda nascitura? — At essent cum extremis prima conjuncta: licuisset ab initio statim uno aspectu totum argumentum comprehendere. — Illa vero omnia, quæ ante id tempus aguntur, quum Hercules insania corripitur, quo ea tandem referrentur aut quonam pacto cum reliquo negotio cohærere putaremus? Quid esset Junoni cum Lyco? Quid Lyci rationes ad Junonis odium pertinerent? An instigatus ab illa et tamquam subornatus induceretur, ut, quum nihil effecisset, interfectus ad ceteras Herculis laudes accederet? Sin minus, quid eo tempore attineret eam in scenam procedere, quo tempore, quod ageret, nihil prorsus haberet? Tantum abest, ut hac ratione, quæ parum inter se cohærere dicuntur, constringerentur artius, ut isto denique pacto ex eo, quod unum fuerat, negotio duo inter sese diversissima existerent. Jam vero si ab initio, quis exitus rerum futurus esset, haberemus cognitum, quam illa frigida essent, quæ ad Herculis parentem, conjugem, liberos pertinent! Quam nihil periculum curaremus, quod iis adfertur a Lyco! Cujus consilia quum vana futura esse intelligeremus, tum, vel ut perfici possent, videretur optandum, ne ex hujus manibus elapsi in Herculis ipsius inciderent. Atqui hic locus qualis sit, vehementer ad vim totius tragoediæ pertinere quis est qui non intelligat? Nam quum duas hæc fabula habeat rerum conversiones, unam a desperata condicione ad salutem, alteram a salute ad mortes et miserias, quantum illa superior commoverit, tantum necessario hæc posterior commovebit; nec vero tam graviter animi nostri tangerentur extrema illa eorum, quibus favemus, calamitate, nisi antea summa et in periculis eorum sollicitudine et rursus in insperata salute lætitia essemus adfecti.

Hæc ideo erant proponenda, non tam ut Euripidis artem et ingenium probaremus — neque enim id nunc agitur — quam ut, quid de Senecæ hac fabula judicandum esset, explicaretur facilius et ut falsa illa opinio tolleretur, tamquam hic in fabulis disponendis aut plus interdum quam Græci vidisset aut omnino de ea re laborandum sibi quicquam putasset. Nam neque in ceteris fabulis ejusmodi est, ut tale aliquid de eo sit suspicandum, neque in hujus fabulæ prologo esse iis, quæ dicta sunt, satis arbitror demonstratum. Qui quidem prologus, ut ad perpetuitatem rerum et ad tragoediæ rationem universam nihil utilitatis adfert, sic ipse per se non nimium neque jucunditatis habet neque granditatis. In quo Juno primum pellices tam multas in coelum receptas conqueritur, ut ipsa inde depulsa necessario ad tellurem descenderit: tum Herculis virtutem extollit et monstra ab illo devicta commemorat timetque vehementer, ne vi mundo convulso in deorum sedes irrumpat; ad extremum de solvendis Gigantibus et de lunaribus quibusdam bestiis concipiendis locuta, rem ipsam aggreditur sic:

Quæris Alcidæ parem?
Nemo est nisi ipse. Bella jam secum gerat.
Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides. Ignem flammeæ spargant comæ.
Viperea sævæ verbera incutiant manus.
v. 84—8.

Ita furias instigat, quum subito novum quiddam ei et prorsus mirum venit in mentem:

Ut possit animo captus Alcides agi
Magno furore percitus, nobis prius
Insaniendum est. Juno cur nondum furis?
v. 107—9.

Cur autem insanire habeat necesse, non facile intelligitur: illa vero extrema meliora sunt:

Vota mutentur mea.
Gnatos reversus videat incolumes precor
Manuque fortis redeat. Inveni diem
Invisa quo nos Herculis virtus juvet.
Me vicit et se vincat.
v. 112—16.

Regam furentis arma, pugnanti Herculi
Tandem favebo. Scelere perfecto licet
Admittat illas genitor in coelum manus.
v. 120—2.

Procedunt deinde Amphitryon et Megara comitante puerorum grege; quamquam pueros quidem adesse, nisi a choro esset indicatum, in perpetuum nobis erat ignorandum. Nihil enim Amphitryon de impendente iis periculo; nihil Megara crepat, quod maternam sollicitudinem prodat. Hic tantummodo enumerat nobilia illa, quæ ab Hercule edita sunt, opera: interfectum Creontem, turbatam thebanam civitatem demonstrat; ad extremum de Herculis reditu bonam se spem habere significat. Illa primum quidem ingentem fiduciam spirat:

Emerge conjunx atque dispulsas manu
Abrumpe tenebras. Nulla si retro via
Iterque clusum est, orbe diducto redi
Et quicquid atra nocte possessum latet
Emitte tecum.

v. 283—7.

Erumpe rerum terminos tecum efferens
Et quicquid avida tot per annorum gradus
Abscondit ætas, redde et oblitos sui
Lucisque pavidos ante te populos age.
Indigna te sunt spolia, si tantum refers
Quantum imperatum est.

v. 294—9.

Mox rerum condicioni convenientius loquitur; vota ob reditum ejus facit, significat desiderium et amorem:

Magna sed nimium loquor
Ignara nostræ sortis. Unde illum mihi
Quo te tuamque dexteram amplector diem
Reditusque lentos nec mei memores queror?

v. 299—302.

Tum restitutas fratribus rebor meis
Animas et ipsum regna moderantem sua
Florere patrem. Si qua te major tenet
Clausum potestas, sequimur. Aut omnes tuo
Defende reditu sospes aut omnes trahe.
Trahes nec ullus eriget fractos deus.

v. 307—12.

Quam quum ad meliores cogitationes Amphitryon excitare conatur, advenit Lycus. Qui de virtute sua ac novitate magnifice, de titulorum et imaginum gloria contemptim locutus, tamen quoniam firmari stabilirique suum regnum nisi nobili conjuge ducta non possit, eo consilio venisse se dicit, ut aut Megaræ matrimonium obtineret aut, si abnuisset illa, funditus Herculis domum perverteret. Conversus igitur ad illam, perniciosa esse sine fine, sine foedere

bella demonstrat: ad quietem hortatur, quæ victori grata, victo necessaria sit; ad extremum pacis et amicitiæ pignus dextram porrigit. At illa:

Egone ut parentis sanguine adspersam manum
Fratrumque gemina cæde contingam? Prius
Exstinguet ortus referet occasus diem,
Pax ante fida nivibus et flammis erit.
v. 376—9.

Patria abstulisti regna germanos larem
Patrem. Quid ultra est? Una res superest mihi
Fratre ac parente carior regno ac lare,
Odium tui quod esse cum populo mihi
Commune doleo. Pars quota ex illo mea est?
v. 383—7.

Contra ille mitigare invidiam suam conatur: quam bene, hi versus declarant:

Cruento cecidit in bello pater,
Cecidere fratres. Arma non servant modum,
Nec temperari facile nec reprimi potest
Stricti ensis ira. Bella delectat cruor. —
Sed ille regno pro suo, nos improba
Cupidine acti. — Quæritur belli exitus,
Non causa.
v. 406—12.

Hæc vero satis commode dicta:

Sed nunc pereat omnis memoria.
Cum victor arma posuit, et victum decet
Deponere odia. Non ut inflexo genu
Regnantem adores petimus. Hoc ipsum placet
Animo ruinas quod capis magnas tuo.
Es rege conjunx digna: sociemus toros.
v. 412—17.

Ad quæ Megara:

Gelidus per artus vadit exanguis tremor.
Quod facinus aures pepulit? Haut equidem horrui,
Cum pace rupta bellicus muros fragor
Circumsonaret. Pertuli intrepide omnia.
Thalamos tremesco. Capta nunc videor mihi.
Gravent catenæ corpus et longa fame
Mors protrahatur lenta. Non vincet fidem
Vis ulla nostram. Moriar Alcide tua.
v. 418—25.

Fortem hanc quoque vocem emittit:

Ly. Cogere.
Meg. Cogi qui potest nescit mori.
v. 430.

Sequitur de Herculis genere et virtute satis longa inter Lycum et Megaram primum, tum inter eandem et Amphitryonem altercatio: qua ille irritatus ita exardescit, ut vim ad extremum minetur:

Sin copulari pertinax tædis negat,
Vel ex coacta nobilem partum feram.
v. 497—8.

Quem terrorem quum illa eodem animo quo priores repellit, similiter atque apud Euripidem ignes iis circumdari jubet. Quo tempore Amphitryon deorum auxilio desperato filium implorat:

Quid deos frustra precor?
Ubicunque es, audi gnate — cur subito labant
Agitata motu templa? Cur mugit solum?
Infernus imo tonuit e fundo fragor.
Audimur. Est est sonitus Herculei gradus.
v. 523—7.

Novum plane in hoc loco commentum videmus et cujus in Euripidia quidem fabula nullum exstet signum: quod tamen ejusmodi est, ut ad Megaræ libertatem et spiritus declarandos haud imprudenter excogitatum esse videatur. Quod si poeta, quanta felicitate invenit, tanta arte tractasset neque materiam benignam et fecundam usitato tumore ampullisque corrupisset, haud sane indignum hunc locum judicarem laudibus iis, quibus eum prosecutus est Kleinius; quæ, ut nunc se res habet, etsi non prorsus immeritæ, immodicæ certe videntur. Admiratur autem Megaræ personam maxime: in qua odii vis et ardor cum fortitudine conjunctus satis vehementer exprimitur: sed quum ille decor et dignitas desideratur, quæ nisi modo servato existere non potest, tum quæ conjugalem animum indicent, pauca, quæ vero maternum, prorsus nulla sunt. Debebat tamen, quum suam in Lyco aspernando constantiam liberorum interitum consecuturum videret, etsi non consilium mutare — nam id quidem minime esset laudandum — at certe, ut videretur intelligere, quanti sibi illa erga maritum fides constaret, aliquem luctum significare, aliquid materni doloris effundere. Nunc ut est in odio ferox et indomita, in liberorum salute lenta prorsus ac negligens, admirationem fortasse poterit excitare, amorem et benevolentiam conciliare non poterit: atque, ut aperte dicam quod sentio, furiam potius concitatam quam mulierem liberorum et conjugis amantem refert.

Præterea hujus loci, ut nihil in Hercule Euripidis simile reperitur, ita in Phoenissis ejusdem semen fortasse et initium latet: ubi Antigone Creonti Hæmonis sibi nuptias denuncianti eadem contumacia adversatur:

ΑΝ. ἦ γὰρ γαμοῦμαι ζῶσα παιδὶ σῷ ποτε;
ΚΡ. πολλή σ' ἀνάγκη· ποῖ γὰρ ἐκφεύξει λέχος;
ΑΝ. νὺξ ἄρ' ἐκείνη Δαναΐδων μ' ἕξει μίαν.
Phoen. 1573—5.

Nam Megara quoque idem fere Lyco respondet:

Nunc nunc cruentæ regis Ægypti nurus
Adeste multo sanguine infectæ manus.
Deest una numero Danais. Explebo nefas.
v. 502—4.

Jam Hercules adest cum Theseo et, si dis placet, etiam Cerbero: neque enim intelligo, quid aliud his versibus subjici possit:

Quisquis ex alto adspicit
Terrena facie pollui metuens nova,
Aciem reflectat oraque in coelum erigat
Portenta fugiens. Hoc nefas cernant duo
Qui advexit et quæ jussit.
v. 604—8.

Venia igitur a Sole petita, si quid illicitum viderit, conquestus etiam de Junonis ira et de laboribus suis, a patre breviter docetur, quo in loco res sint. Ille statim ad supplicium sumendum fertur:

Ad hauriendum sanguinem inimicum feror,
Theseu resiste, ne qua vis subita ingruat.
Me bella poscunt. Differ amplexus parens
Conjunxque differ. Nunciet Diti Lycus
Me jam redisse.
v. 640—4.

Magnam hic sane de Herculis virtute opinionem movet; nam non modo insidiæ nullæ struuntur, ut apud Euripidem, sed omnino non Hercule dignus hic labor putatur a Theseo: quo homine quid confidentius cogitari possit, non invenio, quum ita Amphitryonem confirmet de eventu pugnæ timentem:

Si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas poenas dabit.
Lentum est dabit: dat. Hoc quoque est lentum: dedit.
v. 655—7.

Quo ille ita recreatur, ut omni sollicitudine depulsa quærat etiam, qui tempus cum aliqua delectatione consumat. Ita Theseum orat, ut aliquid de inferis rebus et de rebus ibi a filio gestis expo-

nat. Centum et septuaginta fere versibus conficitur hæc descriptio; quæ ex variis Ovidii Virgiliique locis expressa, quamquam maximam quidem partem solitum illud Senecæ narrandi genus exhibet, tamen incidunt nonnulla satis arguta atque illustria; ut hæc de Plutone:

Dira majestas dei
Frons torva fratrum quæ tamen speciem gerat
Gentisque tantæ. Vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis. Magna pars regni trucis
Est ipse dominus cujus aspectus timet
Quicquid timetur.

v. 726—31.

Aut quum Herculis cum Cerbero congressus narratur:

Ut propior stetit
Jove natus, antro sedit incertus canis,
Et uterque timuit.

v. 795—7.

Illa vero longe optima de victo jam Cerbero et in lucem extracto:

Postquam est ad oras Tænari ventum et nitor
Percussit oculos, lucis ignotæ bono
Resumit animos victus et vastas furens
Quassat catenas. Pæne victorem abstulit
Pronumque retro vexit et movit gradu.
Tunc et meas respexit Alcides manus.
Geminis uterque viribus tractum canem
Ira furentem et bella temptantem irrita
Intulimus orbi. Vidit ut clarum diem
Oborta nox est, lumina in terram dedit.
Compressit oculos et diem invisum expulit
Aciemque retro flexit atque omni petit
Cervice terram. Tum sub Herculeas caput
Abscondit umbras.

v. 817—31.

Post interfectum Lycum rem divinam facit. Hic admonitus a parente, ut, priusquam aras attingat, abluat manus hostili cæde pollutas, negat ullum dis immortalibus gratiorem liquorem posse præberi quam injusti regis et improbi sanguinem: adhortante eodem, ut ærumnarum suarum finem et requiem precetur, nihil sibi, omnia generi humano precatur:

Ipse concipiam preces
Jove meque dignas. Stet suo coelum loco,
Tellus et æther. Astra inoffensos agant
Serena cursus. Alta pax gentes alat.

v. 930—33.

Non sævi ac truces
Regnent tyranni. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet et si quod paret
Monstrum, meum sit.
v. 940—43.

Hæc precatus subita illa dementia corripitur: quo quidem loco, si alias umquam, licet cognoscere, quantum intersit inter eum poetam, qui naturam veritatemque sequatur, et illum, qui id tantum agat, ut nova et inaudita loquendo mirantem stupentemque teneat lectorem. Furit Hercules etiam apud Euripidem; verum tamen cum ratione aliqua furit: apud hunc vero insana, ut ita dicam, ipsa insania est. Illic unam quandam Hercules et certam persequitur vel imaginem vel cogitationem, qualem consentaneum est ex acerbissima vetustissimaque simultate per subitam mentis perturbationem exsistere: ad inimici domum sibi videtur proficisci: iter faciens nunc edit, nunc dormit, nunc ludos gymnicos celebrat: quæ loca eo tendenti, quo tendit, prætereunda sunt, præterit; quum vero Argos pervenit, quamdiu in uxorem et liberos sævit, tamdiu in inimicam domum sævire sibi videtur. Ac ne illud quidem negligendum est, quod, quemadmodum Sophocles Ajacem propter pecudes cæsas exsultantem facit, sic Herculem non veretur Euripides inducere aliena quædam et absurda facientem ejusmodi, ut circumstantes, priusquam totos horror invadat, vix risum possint tenere: non temere, ut mihi quidem videtur: habet enim illud malum, quod unum omnium acerbissimum humana condicio patitur, nihil acerbius in sese, nihil atrocius, quam quod summæ foeditati admixtam etiam ridiculi speciem præbet. Apud hunc contra confusa omnia, turbata, tumultuantia, delirio simillima; ita tamen, ut sedulo granditas quædam et dignitas affectetur. Nunc obscuratum coelum solemque deficientem videt, nunc sidus Leonis in Taurum impetum faciens; nunc deos in coelum se ultro vocantes audit, nunc Junone obstante contumacis mundi januam trahit: mox furiæ in eum consurgunt sudesque e rogis abreptas in os ejus intentant: tum alterum puerum tamquam Lyci, alterum tamquam Eurysthei filium, Megaram vero pro Junone trucidat; Junoni tamen toto illo grege fecisse se dicit. Ad extremum Amphitryon stimulante dolore, frustra retinente Theseo, cervices filio præbet, ut et ipse mortiferam plagam accipiat; quum ille tandem aliquando sopore oppressus conticescit et corruit.

Excusso sopore, de strage per insaniam facta eadem fere ratione atque apud Euripidem a parente certior factus, moriendi quoque similiter impetum capit: nisi quod hic, licet ipsa illa tempestas

insaniæ siderit, tumultuatur tamen etiamnunc animus ejus et recenti motu concussus exæstuat et, quam in furore violentiam prompsit, eandem in querelis et lamentationibus servat. Quamquam hæc quidem sedatæ jam mentis et ad sanitatem redactæ videntur:

Non sic furore cessit exstinctus pudor,
Populos ut omnes inpio adspectu fugem.
Arma arma Theseu flagito propere mihi
Subtracta reddi. Sana si mens est mihi,
Referte manibus tela. Si remanet furor,
Pater recede, mortis inveniam viam.
v. 1243—52.

Hæ vero plane insanientis voces sunt:

Arma nisi dantur mihi,
Aut omne Pindi thracis excidam nemus
Bacchique lucos ct Cithæronis juga
Mecum cremabo.
Tota cum laribus suis
Dominisque tecta, cum deis templa omnibus
Thebana supra corpus excipiam meum
Atque urbe versa condar et si fortibus
Leve pondus humeris moenia inmissa incident
Septemque opertus non satis portis premar,
Onus omne media parte quod mundi sedet
Dirimitque superos in meum vertam caput.
v. 1291—1301.

Deducere autem eum a tristi consilio, ut apud Euripidem Theseus, sic apud hunc Amphitryon maxime conatur; cujus in verbis ea summæ pietatis, ea mæstissimi doloris eminet species, ut hunc locum inter pulcherrimos Senecæ numerandum haud dubitanter affirmaverim. Quem locum, si permitteret hujus voluminis modus, totum debebam transscribere; nunc, ut quidque pulcherrimum videtur, excerpam:

Amph. Per sancta generis sacra, per jus nominis
Utrumque nostri, sive me auctorem vocas
Seu tu parentem perque venerandos piis
Canos, senectæ parce desertæ precor
Annisque fessis, unicum lapsæ domus
Firmamen, unum columen adflictæ malis.
Temet reserva, nullus ex te contigit
Fructus laborum.
v. 1253—60.

Amph. Reddo arma.
Herc. Vox est digna genitore Herculis.
Hoc en peremptus spiculo cecidit puer.

Amph. Hoc Juno telum manibus inmisit tuis.
Herc. Hoc nunc ego utar.
Amph. Ecce quam miserum metu
Cor palpitat pectusque sollicitum ferit.
Herc. Aptata harundo est.
Amph. Ecce jam facies scelus.
Herc. Volens sciensque. Pande, quid fieri jubes?
Amph. Nihil rogamus, noster in tuto est dolor.
Gnatum potes servare tu solus mihi,
Eripere nec tu. Maximum evasi metum.
Sic statue quicquid statuis, ut causam tuam
Famamque in arto stare et ancipiti scias.
Aut vivis aut occidis. Hanc animam levem
Fessamque senio nec minus fessam malis
In ore primo teneo. Tam tarde patri
Vitam dat aliquis? Non feram ulterius moram:
Letale ferro vulnus inpresso induam.
Hic hic jacebit Herculis sani scelus.
Herc. Jam parce genitor parce. Jam revoca manum.
Succumbe virtus. Perfer imperium patris.
Eat ad labores hic quoque Herculeus labor:
Vivamus. Artus adleva adflictos solo
Theseu parentis. Dextra contactus pios
Scelerata refugit.
Amph. Hanc manum amplector libens,
Hac nisus ibo, pectori hanc ægro admovens
Pellam dolores.

v. 1302—28.

Narrat Seneca in epistula morali septuagesima octava adulescentulum se gravissimo morbo adflictum moriendi consilium cepisse et perfecturum fuisse, nisi a patre esset retentus. Sed ipsius verba ponam: "Sæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ: patris me indulgentissimi senectus retinuit: cogitavi enim non quam fortiter ego mori possem, sed quam ille fortiter desiderare me non posset. Itaque imperavi mihi, ut viverem. Aliquando enim et vivere fortiter facere est." Hæc qui leget, statim animum ejus credo percutiet summa inter hunc verum et illum fictum casum similitudo, neque improbe conjectatum putabit, si quis ex his paucissimis versibus effloruisse tamquam ex semine totum illum locum statuerit, et, quicquid illic præter consuetudinem Senecæ deprehenditur veri et sinceri doloris, id ex hujus casus fluxisse memoria atque recordatione, qua occupatus, tum quum Amphitryonem faceret loquentem, suum patrem flentem obsecrantemque animo et cogitatione quodammodo cerneret.

Sed ut eminere hunc locum judico mollissima quadam paternæ indulgentiæ pictura, ita in Herculis persona fortitudinem et robur desidero: ut plus multo vidisse videatur Euripides, qui ignaviæ et imbecillitatis opinionem veritum, quam Seneca, qui patris voluntate et precibus coactum deponentem eum illud consilium facit.

Ac de argumento quidem hujus tragoediæ satis dictum esse arbitror: de ratione quoque ejus universa quid esset judicandum, significatum, ut opinor, satis. Nam alia ex iis, quæ Euripidiæ fabulæ argumento subjecimus, alia ex hac ipsa enarratione facile colliguntur. Illud tamen velim, qui legent, animadvertant, quam studiose id agat et moliatur in hac fabula Seneca, ut ex artis ipsius negotii finibus evolare quam sæpissime possit ad finitimam fabularum regionem earumque quam plurimos flores ornandi causa decerpere. Eo consilio Junonis meditationem induxit; id spectans tantam ad brevitatem priorem tragoediæ partem redegit; eo studio Thesea cum Hercule simul advenientem facit; quod profecto non fecisset, nisi illum de inferis locum voluisset intrudere. Sed de hac quidem fabula hactenus.

Jam ad Œdipum veniamus: quam fabulam recte elegisse videtur Nisardius, ut ejus potissimum exemplo, quantum a Græcis Seneca distaret, ostenderet. Nam et opponitur ei Sophoclis illa, quæ *Οἰδίπους Τύραννος* inscribitur: cujus ea præstantia est, ut non modo supra reprehensiones, sed etiam supra laudes esse videatur: et ipsa Senecani generis notam ita gerit expressam, ut magis tamen exstent et emineant ea, quæ in hoc ipso genere maxime a veræ poesis ratione discedant. Tantum enim abest, ut deterruerit Senecam ab imitando Sophoclei carminis amplitudo, ut ne excitare quidem ingenium ejus et incendere potuerit: ut in suscepto hoc cum Sophocle certamine non modo illius vires, quod minime miremur, sed, quod jure aliquis indignetur, ne suas quidem ipsius æquaverit. Itaque neminem fere credo tam inepte Senecæ faventem reperias, quin, Sophoclis fabula perlecta, cum horrore quodam Senecæ sumat in manus: neminem, quin has inter se comparando pollui Sophoclis gloriam censeat. Neque enim omnia ejusmodi sunt, licet in eodem sint genere, ut recte inter se comparari possint; neque si ex altera parte egregio quodam Praxitelis aut Myronis opere constituto, ex altera ligno, quod ad simulacri alicujus suspicionem negligenter nescio quis operarius dolaverit, horum inter sese dissimilitudines dilegenter consideres multisque verbis de iis edisseras, non et ineptis-

simus et otiosissimus habeare, quippe quum in hujusmodi rebus aspicere et præterire abunde sufficiat. Quod ego item faciam neque committam, ut in re manifesta verbis utar non necessariis. Omissa igitur illa perpetua Græci argumenti narratione, qua in prioribus fabulis usi sumus, partem tantummodo cum parte contendam, ut appareat, quam ex Sophocle pauca servarit, quam multa ex suo aut aliunde assumpserit, quam omni denique ratione retexuerit, ut ita dicam, Sophoclis illam pulcherrimam telam eamque suis passim assutis pannis distinxerit atque corruperit.

Apud Sophoclem igitur ita fabula exorditur, ut multitudo Thebana supplicum insignibus ornata Œdipum regem adeat eumque per sacerdotem quendam oret, ut pro pristina illius sapientia atque felicitate, quam a Sphinge liberati sensissent, nunc quoque duplici corporum et agrorum peste laboranti populo succurrat. Ad hæc ille id ipsum se quum maxime agere testatus — nam illos sua quemque tantummodo mala perferre; ad se vero unum omnium calamitates pervenire — ad Apollinem se jam pridem de communi salute sciscitatum Creontem fratrem uxoris ostendit misisse; mirari, quod nondum reverterit. Vix desiit loqui, quum advenit Creon sortemque acceptam in medium profert: qua liberari populum religione Laii regis occisi jubente, sollemnibus verbis Œdipus, qui Laium regem occiderit, si ipse se indicarit, poenam non ultra exilium statuit, si quis autem auctor cædis consciusve rem ex industria occultaverit, aqua et igni interdicit. Tum quæstione cædis instituta, quoniam tanto ante perpetratæ rei oblitterata vetustate signa non facile reperiantur, consilio catervæ usus Tiresiam, cæcum illum vatem, jubet arcessi. Qui honorifice ab Œdipo appellatus, simulatque, quid a se quæreretur, accepit, incusans funestam oblivionem, qua id sibi excidisset e mente, quod futurum esse optime sciret, tacere et abire velle perseverat; donec vehementius Œdipo instante, exprobrante etiam lentum segnemque in civium malis animum, ira tandem ad aperiundam veritatem provectus, non modo eum ipsum esse illum, qui quæratur, Laii interfectorem ostendit, sed, quum Œdipus conscientia nixus indicium ejus aspernatur atque etiam ipsum falsum illud crimen una cum Creonte opprimendi sui causa conflasse insimulat, reliquas quoque miserias ejus, incestum matris conjugium, liberorum nefandam originem, futuram cæcitatem et exsilium enuntiat. Ex Sophocle hactenus.

Apud Senecam primum Œdipus et Iocaste procedunt; quo tempore Œdipus decantato illo de falso regni fulgore tritissimo loco, tum Delphica sorte commemorata, cujus fallendæ causa Corinthum

sibi relinquendam putasset, pestilentiam ad extremum copiosissime describit. Occurrit hic locus nimium quantum ineptus:

Jamjam aliquid in nos fata moliri parant.
Nam quid rear quod ista Cadmeæ lues
Infesta genti strage tam late edita
Mihi parcit uni?
v. 28—31.

Mortem deinde sibi optat fortis rex et amans civium, ut effugiat publicæ cladis aspectum. Correptus autem ab uxore propter animi imbecillitatem, fortitudinem suam vel Gigantibus parem et Sphingem a se occisam gloriose sane prædicat: a Sphinge etiam omnium malorum repetendum principium putat.

Cum Creontis autem adventu longa descriptionum exoritur series. Quarum Delphicæ virginis prima est; cui sors ipsa subjungitur hexametris versibus comprehensa:

Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes
Regis cæde nocens Phoebo jam notus et infans.
Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis:
Tecum bella geres, gnatis quoque bella relinques
Turpia maternos iterum revolutus ad ortus.
v. 237—42.

Quærit Œdipus deinde, quo loco interfectus Laius sit: alia statim trivii illius in Phocide descriptio.

Jam Tiresias cum Theanone filia producitur. Non est hic ille, quem Sophocles effinxit, Tiresias, sed haruspex aliquis arreptus e foro: tantum non exspectes, ut opera navata mercedulam poscat. Qui quum, ut poetæ verbis utar, propter provectam ætatem pectore deum recipere non possit, ad alia magis artificiosa divinandi genera descendit. Statuuntur ante aras victimæ: sparguntur tura flammis: omnia deinde sacrificiorum ritu procedunt. Ac primum quidem fumi et ignis quis habitus sit, subinde quærenti patri Theano diligenter exponit:

Non una facies mobilis flammæ fuit.
v. 319.

Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit et se scindit unius sacri
Discors favilla.
v. 325—27.

Exterrito his signis patre et nescio quid nefandum præsagiente ad extispicium acceditur. Mactantur taurus et juvenca: in quo diversi Iocastæ et Œdipi exitus ita significantur:

Juvenca ferro semet imposito induit
Et vulnere uno cecidit, at taurus duos
Perpessus ictus huc et huc dubius ruit
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
v. 345—48.

Victimis cæsis, viscera earum Theano scrutatur, in quibus multa mire prodigioseque mutata deprehendit. Triginta non minus versus hæc intestinorum victimarum complet descriptio: quæ eo consilio inducta, ut Œdipi cum matre significetur incestum, tantam habet foeditatem, quantam ne apud Senecam quidem alio loco reperias. Quapropter totum hunc locum legentibus remittam libens, ut spero, libentibus.

Sed quoniam his quidem sacris, id quod maxime vult Œdipus, nomen interfectoris elici non potest, jam Laium ipsum evocare ex inferis constituunt. Ita longum hoc descriptionum agmen cogit hæc ad extremum Creonti tributa narratio. De qua multa non opus est dicere; est enim plane ex consueto illo Senecano genere. In qua primum lucus quidam vetustus et horribilis describitur, deinde sacrum in eo luco dis inferis factum: sequitur brevis rerum infernarum pictura et Thebanarum quarundam umbrarum commemoratio: ad extremum Laius evocatus filii nomen edit seseque poenas ab eo sumpturum minatur. Atque hunc quidem locum de Laio ab inferis excitato ex Euripidis Œdipo sumptum, quantum de minutis illius fabulæ reliquiis judicari potest, judicat Welckerus; nam priora illa, quibus extispicia continentur, suo certe, ut ajunt, Marte composuit.

Ab hoc autem loco eandem jam fere quam Sophocles ingreditur viam. Nam hic quoque Œdipus insimulat Creontem regni cupidine ductum falsum sibi crimen confingere: hic quoque ille se ita defendit, ut neget sani hominis esse, quum proximum a rege locum obtineas, ubi pariter et privata securitate et regiis opibus perfrui possis, ad regni ipsius fastigium velle ascendere, ut ad commoda non majora pericula et sollicitudines accedant: quamquam et Creon longius justo progreditur, quum Œdipo se, vel ut deponeret regnum, si tuto potuisset deponere, suasurum fuisse confirmat et Œdipus ipse sententiis utitur iis, quæ magis tyranni personæ quam regis accommodatæ videntur. Exitus autem contentionis apud utrumque poetam diversus: quæ apud Sophoclem ab Iocaste componitur, apud hunc eo usque prorumpit, ut Œdipus Creontem in carcerem jubeat conjici.

Sequitur Sophocleæ fabulæ locus nescio an unus omnium præstantissimus. Ibi enim, quum Iocaste id agens, ut sollicitudinem viri soletur animumque ejus ab oraculorum vatumque fide deducat,

de Laio quoque olim editam sortem irritam cecidisse commemorat: illum enim Apollinem prædixisse occisum iri a filio: esse autem in trivio quodam a latronibus interfectum: statim loci similitudine percussus alia ex aliis sciscitando mox eo pervenit, ut dubitare non possit, quin ipse Laium interfecerit. Quæ Seneca — credo, ut quam paucissimis verbis exilem materiam et infecundam absolveret — sic nude et simpliciter sine ullo artificio tractavit: Iocasten enim nihil aliud facit quam breviter Œdipo respondentem de facie Laii, de numero comitum, de loco ubi interfectus sit: quæ quum ille omnia videt congruere, perinde, ut illic, se illius cædis esse auctorem fatetur.

De genere vero suo non aliter quam apud Sophoclem docetur. Adest nuntius a Corintho; qui primum Polybum e vita decessisse narrat; tum lætum Œdipum et quodammodo respirantem, quod eam partem sortis, quæ ad patris cædem spectaret, effugerit, de altera parte et de matre etiamnunc paventem, ut hac quoque sollicitudine suo liberetur beneficio, non ex iis esse natum docet, quibus putetur: infantem se eum reginæ tradidisse; ipsum a Thebano quodam pastore accepisse. Arcessitur ille; componuntur homines: ita veritas extorquetur. Hæc igitur quum rebus ipsis cum Sophocle prorsus conveniunt — nisi quod, quum subditus a regina viro infans Œdipus dicitur, id quoniam a Sophoclis argumento abhorret, ab Euripide manasse existimandum est — tum oratione quoque et verbis ita expressa ex Sophocle sunt, ut in nullo alio loco æque Græcum exemplar effinxerit. Ita tamen hæc similia sunt, ut si cum vivo corpore mortuum compares. Desideratur in his et plane abest, quicquid in illis spirat gratiæ, decoris, veritatis; membrorum tantummodo et quasi ipsorum lineamentorum rigida quædam et oblitterata coloribus exstat similitudo. Nam, ut alia omittam, nuntium illum Corinthium qualem quamque egregie effinxit Sophocles! Quam vere, quam commode mores hominis expressit, lucello pro læto nuntio inhiantis percontantique regi de industria tarde breviterque respondentis, quo diutius se tum primum magni momenti homine perfruatur! Quam tragice denique tam ingentis fati ministrum facit tam levem! Idem apud Senecam pro nativo illo et rusticano sermone sententiolas usquequaque et ampullas effundit atque etiam deterrere regem ab inquirendo conatur; quo nihil cogitari potest ineptius, quippe quum, quid ex ea quæstione eventurum sit, prorsus scire non possit. Sed de his fortasse jam nimis multa.

Vix tandem ad ejusmodi locum pervenimus, qui non ab omni parte sit reprehendendus. Nam et mæror et pudor Œdipi satis graviter exprimitur:

Dehisce tellus tuque tenebrarum potens
In Tartara ima rector umbrarum rape
Retro reversas generis ac stirpis vices.
Congerite cives saxa in infandum caput,
Mactate telis. Me petat ferro parens
Me gnatus, in me conjuges arment manus
Fratresque et æger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes.

v. 889—896.

et illa, quibus, ut oculos sibi eruerit, narratur, licet multum et foeditatis habeant et insaniæ, tamen nescio an grandia partim possint vocari; ut hæc extrema:

Attollit caput
Cavisque lustrans orbibus coeli plagas
Noctem experitur. Quicquid effossis male
Dependet oculis, rumpit et victor deos
Conclamat omnes: "parcite heu patriæ precor:
Jam justa feci, debitas poenas tuli.
Inventa thalamis digna nox tandem 'meis.

v. 992—98.

Hoc autem differt Sophocleæ fabulæ exitus ab eo, quem finxit Seneca, quod apud illum cum Œdipi isto facinore conjuncte narratur etiam Iocastæ interitus: reliqua lamentationibus Œdipus complet: contra Seneca non narrari facit istam necem, sed repræsentari, atque etiam cum Œdipo Iocasten, priusquam mortem sibi consciscit, inducit colloquentem. Foedissime novatum quis neget? Hoc vero summi stuporis:

Ioc. Fati ista culpa est. Nemo fit fato nocens.

v. 1041.

Quid hæc sibi verba volunt? aut quo pacto in tam alienum incucurrerunt locum? Moritura est Iocaste, ut poenam pro scelere solvat: excusare tamen hoc ipsum scelus conabitur? Num oblitus est Seneca Sophoclem se sequi et morituram hanc esse Iocasten, cogitavit de illa, quæ est apud Euripidem, quæ post detecta domus flagitia consolans virum inducitur? Utcunque se res habet, bene Œdipus:

Jam parce verbis mater et parce auribus

v. 1042.

Interimit se tandem Iocaste abitque in exilium Œdipus: quo loco extrema mitescentis coeli populique convalescentis inseritur descriptio: ubi satis graviter hæc ab Œdipo dicuntur:

Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta fata et horridus morbi tremor
Maciesque et atra pestis et rabidus dolor

Mecum ite mecum. Ducibus his uti libet.
v. 1080—83.

Sed de Œdipo satis dictum esse arbitror.

Proxima ea est fabula, quæ in prioribus libris Thebais aut Phoenissæ inscribebatur, in eo, quem nos nunc sequimur, in duo est duarum fabularum fragmenta divisa, quorum alterum Œdipi, alterum Phoenissarum inscribitur. Quæ quidem recte esse separata nemo negabit, qui dissimilem eorum et diversam naturam cognoverit.

Nam Œdipi quidem fragmenti argumentum hujusmodi est, ut Œdipus inducatur mortem sibi ipse consciscere gestiens ejusque consilii causas exponens miseriasque suas omnes et imprudenter commissa flagitia lamentans: contra eum ad vitam perferendam filia cohortetur Antigone, cujus pietate et precibus victus moriendi consilium ad extremum abjiciat; cui disputationi — disputatio enim magis appellanda videtur quam actio — brevis hic locus subjicitur, quum Œdipus per nuntium Thebanum oratus, ut propere redeat Thebas filiosque bellum civile patriæ importantes sua auctoritate ad concordiam reducat, et negat constantissime et in filios diras preces effundit. Quæ ita tractantur, ut molestiorem ineptioremve locum ne apud Senecam quidem ullum reperias. Furit Œdipus, dum ad mortem festinat: furit Antigone, dum in vita retinere eum studet: nihil humani affectus exprimitur, nihil non ad incredibile augetur: tum in sententiis, quæ hinc et illinc plurimæ torquentur, partim insania summa, partim summa similitudo et satietas. Nolo in hujusmodi re longus esse: paucos modo versus subjiciam, ut legentibus ipsis fiat judicandi potestas: quas quum legerint, profecto non plures desiderabunt:

Œd. Quid segnis traho
Quod vivo? Nullum facere jam possum scelus?
Possum. Miser prædico, discede a patre,
Discede virgo: timeo post matrem omnia.
v. 47—50.

Œd. Tu tantum impera:
Hic Oedipus ægæa transnabit freta
Jubente te flammasque quas siculo vomit
De monte tellus igneos volvens globos,
Excipiet ore seque serpenti offeret
Quæ sæva furto nemoris Herculeo furit,
Jubente te præbebit alitibus jecur,
Jubente te vel vivet.
v. 312—19.

Eminent tamen hæc, ut in pessimis, quæ dicit Antigone:
Pars summa magni patris e regno mea est
Pater ipse. Non hunc auferet frater mihi,

Thebana rapto sceptra qui regno tenet,
Non hac catervas alter argolicas agens.
Non si revulso Juppiter mundo tonet
Mediumque nostros fulmen in nexus cadat,
Manum hanc remittam.

v. 55—61.

Phoenissarum vero fragmenti longe alia et, ut mihi quidem videtur, melior causa est. Nihil hic reperias, quod clamores et admirationes, nihil tamen quod odium et nauseam moveat; at tolerabiliter pleraque dicta, nonnulla sane ac pæne dixerim bene. Argumentum quoque electum prudentius ad veros sensus et simplices expromendos: tractatur enim ille ex Phoenissis Euripidis locus nobilis, ubi filiis mutuo infensis Iocaste pacem et concordiam suadet: hoc tamen interest, quod, quum apud Euripidem duo tempora fingantur, quibus filios inter se placare mater conetur, unum ante initam pugnam, quum Polynices fide accepta urbem ob id ipsum introierit, alterum, quod narratur tantummodo, non repræsentatur, quum inter ipsas acies provecta jam dimicantes conetur dirimere, quum hæc igitur ab Euripide duo tempora inducantur, Seneca prioris illius temporis orationes ad hunc posteriorem congressum transtulit, ut hic, inito proelio, eo ipso loco, ubi pugnatur, mater filios alloquatur. Multa igitur mater dolenter et miserabiliter, ut hæc:

Junge complexus prior
Qui tot labores totque perpessus mala
Longo parentem fessus exilio vides.
Accede propius. Clude vagina impium
Ensem et trementem jamque cupientem excuti
Hastam solo defige. Maternum tuo
Coire pectus pectori clipeus vetat:
Hunc quoque repone. Vinculo frontem exue
Tegumenque capitis triste belligeri leva
Et ora matri redde.

v. 103—111.

Quam vere plus eum amans mater inducitur, qui plus habeat miseriarum! Quam autem molles illæ blanditiæ, quibus tamquam ludens armis eum exuit! Aut nihil umquam Seneca bene aut hæc certe vel optime. Quid? Quum Polynices matri securum se esse jubenti ita respondet:

Timeo: nihil jam jura naturæ valent.
Post ista fratrum exempla ne matri quidem
Fides habenda est.

v. 116—18.

Parumne graviter exacerbatum injuria animum significat? Quid? Dolor ejusdem et indignitas, quum mater eum, ut fratri regno concedat, hortatur, nonne satis vehementer exprimitur?

Ut profugus errem semper? Ut patria arcear
Opemque gentis hospes externæ sequar?
Quid paterer aliud, si fefellissem fidem,
Si pejerassem? Fraudis alienæ dabo
Poenas, at ille præmium scelerum feret?
Jubes abire: matris imperio obsequor,
Da quo revertar.

v. 224—30.

Bene alterius quoque fratris ingentes spiritus declarantur:

Ioc. Sceptra Thebano fuit
Impune nulli gerere, nec quisquam fide
Rupta tenebit illa. Jam numeres licet
Fratrem inter istos.
Eteo. Numeret. Est tanti mihi
Cum regibus jacere. Te turbæ exulum
Ascribe.

v. 286—92.

Extremis vero hujus fragmenti versibus, qui ex Polynicis persona dicuntur:

Pro regno velim
Patriam penates conjuges flammis dare.
Imperia pretio quolibet constant bene.

haud infeliciter Euripidios illos Seneca versus æmulatus est, quos Cæsarem usurpare solitum esse accepimus:

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Phoen. 524—25.

Tale hoc fragmentum posterius est: in quo tamen multa et inepte et corrupte dicta reperiri, quoniam de Seneca loquimur, addere non est necessarium. Sed idcirco diutius in eo morati sumus eoque consilio, quæ eminere ejus videbantur, et studiosius transscripsimus et laudavimus pluribus, ut nimis severum atque adeo plane falsum Bernhardyi de his fragmentis judicium refelleremus; qui uno ea sive Phoenissarum sive Thebaidis nomine comprehendens et pro virili parte exagitat atque contemnit et Lipsium reprehendit vehementer, qui eadem vel magnificentissime laudaverit. Cujus tanta judiciorum diversitatis quæ causa fuerit atque origo, facile perspici potest: nimirum, dum duo hæc fragmenta unam esse fabulam putant dumque uno judicio res duas dissimillimas comprehendunt, ille magis prioris fragmenti, hic posterioris rationem habuit; eoque factum

est, ut uterque de tota fabula id dixerit, quod recte pronunciari nisi de parte non posset. Sed de hac quidem re hactenus.

Jam ad Thyesten transimus, quam extremam nobis earum, quæ recte Senecæ attributæ videntur, fabularum reliquimus; quæ quum sua sponte sit digna, quæ evolvatur diligentissime — quicquid enim omnino in genere Senecano in bonam malamve partem insigne deprehenditur, id in hac una tam eminet et exstat, quam in nulla alia expressum videmus — tum etiam ea re commendatur, quod in tanta multitudine tragoediarum, quæ in eodem versatæ sunt argumento, quum totidem prope Thyestæ quot poetæ tragici fuerint et Thyestea coena ipsius generis pæne vocabulum et nomen evaserit, hæc una ex omnibus integra ad nostram ætatem permansit. Quapropter, quamquam, tot ante fabulis recensitis, si in hac extrema vel brevissimi essemus, facile id nobis ab omnibus concederetur, tamen, ne hoc tamquam jure nostro utamur, rei ipsius gravitas prohibet et magnitudo. Instituta igitur fabula in hunc modum est.

Inducitur primum Tantali umbra, quam ex inferis in lucem extractam Furia nepotum domum introire jubet, ut eos ad furorem et scelera compellat. Atque ille, tametsi jam ab initio horribile illud ministerium detrectat, ut edoctus a Furia est, quanta malorum scelerumque series funestam domum maneret, tum vero eo horrore perfunditur, ut vel infernos illos cruciatus rursus suscipere malit:

Fur. Siste. Quo præceps ruis?
Tant. Ad stagna et amnis ad recedentes aquas
Labrisque ab ipsis arboris plenæ fugas.
Abire in atrum carceris liceat mei
Cubile, liceat, si parum videor miser,
Mutare ripas: alveo medius tuo
Phlegethon relinquar igneo cinctus freto.
v. 67—73.

Ceteris deinde, qui apud inferos plectuntur, appellatis:

Tantali vocem excipe
Properantis ad vos. Credite experto mihi:
Amate poenas.
v. 80—2.

Instante vero Furia, rursus:

Me pati poenas decet,
Non esse poenam. Mittor ut dirus vapor
Tellure rupta vel gravem populis luem
Sparsura pestis. Ducam in horrendum nefas
Avus nepotes?
v. 86—90.

Coactus tandem domum irrumpit: quam ubi furore penitus complevit, quum jam horrore aspectus ejus et flumina relabuntur et mare decrescit et Sol ipse producere diem cunctatur, rursus ad nota sibi supplicia revolvitur.

Laudatus hic locus et jure laudatus ab omnibus est. Habet enim imaginem novam, audacem, grandem, magnificam: in qua tamen, si reprehendendum aliquid est, id fortasse reprehendi potest, quod granditati rerum poeta satis, perspicuitati non item consuluit. Nam Furiæ et quæ iis similia sunt numina, qua ratione eos, quos invadunt, a statu mentis deturbent, facile ante oculos ponitur; quæ mortales aut ipsius habitus terrore conturbant aut pestifero spiritu complent aut facibus jactatis injectisve serpentibus tum flammis, tum venenis ad insaniam concitant: umbra vero et imago quo pacto nihil aliud quam introiens domum, eos, qui ea continentur, instigare possit ad scelera, non æque facile perspicitur. Quæ vero hujus loci mens ipsa atque sententia est, ita Tantalum propter scelera puniri, ut ipse progeniem suam ad majora etiam scelera proturbet, eam profecto valde erit iniquus, qui non elatam et altam et tragicam esse concesserit.

Secundus vero actus in eo consumitur, ut Atrei odium ulciscendique consilia exponantur. Simillimus est hic locus Medeæ de Iasonis supplicio cogitanti: idem torrens verborum, eadem insania, eadem, ut ita dicam, ambitiosa in scelere jactantia. Accedit, quod, quemadmodum nutrix Medeæ, sic Atreo satelles adjungitur, non ob aliam causam inductus, quam ut ne tyrannus solus loqueretur et ut adesset, qui adversando rogitandoque novam semper declamandi præberet materiam. Denuntiat igitur Atreus immane et atrox supplicium a fratre sumpturum: adjicit causam, cur non modo justa ea ultio, verum etiam necessaria videatur:

Age anime fac quod nulla posteritas probet,
Sed nulla taceat. Aliquod audendum est nefas
Atrox cruentum tale quod frater meus
Suum esse mallet. Scelera non ulcisceris
Nisi vincis.

v. 192—96.

Novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest, frangi potest.
Proinde antequam se firmat aut vires parat,
Petatur ultro: ne quiescentem petat.
Aut perdet, aut peribit, in medio est scelus
Positum occupanti.

v. 199—204.

Retinere furentem satelles conatur: tractatur statim locus communis, utrum sit melior improba et negligens famæ dominatio an mitis

et popularis ratio regnandi. Mox Atreus, inserta narratione de stupro furtoque a Thyesta commisso, qui modo omnino ab ulciscendi cogitatione deterrebat, eum jam de optima ulciscendi ratione consulit. Mitissimus homo satelles illico suadet, ut

Ferro peremptus spiritum inimicum expuat.
v. 244.

At non placet Atreo; majus aliquid ille desiderat:

Atr. Nullum relinquam facinus et nullum est satis.
Sat. Ferrum?
Atr. Parum est.
Sat. Quid ignis?
Atr. Etiamnunc parum est.
Sat. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
Atr. Ipso Thyeste.
v. 256—59.

Paullo post, quod obscure significavit, aperte proponit:

Dignum est Thyeste facinus et dignum Atreo.
Uterque faciat. — Vidit infandas domus
Odrysia mensas. — Fateor, immane est scelus,
Sed occupatum: majus hoc aliquid dolor
Inveniat. Animum Daulis inspira parens
Sororque. Causa est similis: assiste et manum
Inpelle nostram. — Liberos avidus pater
Gaudensque laceret et suos artus edat.
v. 271—78.

Indicat deinde liberos se ad fratrem missurum, qui exilio et egestate adflictum spe regni partis ostentata reducant in patriam. Sequitur, utrum liberos in secretum admittat necne, satis longa deliberatio: cujus hic tamen exitus est, ut celari eos videatur utilius.

Cedunt insidiæ prospere: adest cum filiis Thyestes. Summæ hic probitatis inducitur, sapientiæ quoque magnæ, nimirum ad Stoicorum præcepta formatæ: qui et regnum et exsilium expertus hujus egestatem illius splendori longe præponit: quod autem Mycenas se arcessenti fratri obtemperavit, id filiorum se precibus victum, non sua cupiditate fecisse confirmat. Venit igitur cunctabundus et timens et omnia mala præsagiens. Quem in exsilium reverti cupientem dum filius erigere et firmare conatur, præbetur idoneus transitus ad vulgarem illum locum communem, quantum humilis et secura condicio vel excelsissimæ cum periculo dignitati præcellat. Quo loco cetera tolerabilia aut etiam bona; illud vero ineptum:

Thy. Causam timoris ipse quam ignoro exigis.
Nihil timendum video, sed timeo tamen.
v. 434—35.

Nam quid timendum sit, et cuivis videre promptissimum est et ipsum intelligere postea satis aperte declaratur. Ne illud quidem quomodo dicatur, intelligo:

Tant. Quam tamen fraudem times?
Thy. Omnem. Timori quem meo statuam modum?
Tantum potest quantum odit.
Tant. In te quid potest?
v. 482—84.

Non enim video, cur non omnia Atreus in Thyesten possit, quæ omnino inimicus potest in inimicum.

Jam Atreus accedit: qui, ut primum fratrem aspexit, tacitus secum ipse felici dolo parataque tandem ultione exsultat: tum ipsum blandissimis verbis aggreditur; ad quæ Thyestes ita respondet:

Diluere possem cuncta nisi talis fores.
Sed fateor Atreu fateor admisi omnia
Quæ credidisti. Pessimam causam meam
Hodierna pietas fecit. Est prorsus nocens
Quicunque visus tam bono fratri est nocens.
Lacrimis agendum est: supplicem primus vides.
Hæ te precantur pedibus intactæ manus:
Ponatur omnis ira et ex animo tumor
Erasus omnis abeat. Obsides fidei accipe
Hos innocentes frater.
v. 512—521.

Quem allevatum Atreus amplexus, filios quoque ejus adolescentes, quorum cædem quum maxime meditatur, exosculatur amantissime. Tum fratri regni consortium defert, quod ille vehementer primo aspernatus non antea accipit, quam Atreus ne se quidem nisi socium ejus regnaturum esse confirmat.

De narratione, quæ deinceps est, breviter licet dicere. Novimus in hoc genere Senecam, qui quo hic liberius exsultaret, materiam nactus est benignissimam atque omnibus iis rebus abundantem, ex quibus Senecanam supellectilem descriptionum constare jam pridem cognovimus. Primum arcem Pelopidarum habet, quam depingat: deinde lucum opacum, horribilem, religione plenissimum: tum Atrei gladio pueros transverberantis immanitatem et ferociam: tum illorum in obeunda morte constantiam; ad extremum corporum lacerationem et diræ illius coenæ præparationem: qui quidem locus, quem quivis alius vehementer reformidaret, huic nimirum arridet vel maxime. Non tamen dimittam legentes, quin hujus quoque descriptionis tamquam gustum accipiant:

Chor. Quo juvenis animo, quo tulit vultu necem?
Nunt. Stetit sui securus et non est preces

Perire frustra passus. Ast illi ferus
In vulnere ensem abscondit et penitus premens
Jugulo manum commisit. Educto stetit
Ferro cadaver cumque dubitasset diu
Hac parte an illa caderet, in patruum cadit.
v. 719—25.

Inter hanc mortem et Astyanactis eam, quæ in Troadum fabula narratur, quanta sit vicinitas atque similitudo, præterire arbitror neminem.

Exitus vero tragoediæ non item vulgaris atque communis, sed qui, si nulla alia re, miraculo certe ac novitate possit movere. Hic enim illæ epulæ ipsæ ante oculos nobis ponuntur, quum Atrei jussu, qui ipse eo consilio videtur exisse e convivio, ut fratris epulantis spectaculo perfrueretúr, fores regiæ domus recluduntur venitque in conspectum Thyestes:

Atr. Aperta multa tecta collucent face.
Resupinus ipse purpuræ atque auro incubat
Vino gravatum fulciens læva caput.
Eructat. O me cælitum excelsissimum
Regum atque regem. Vota transcendi mea.
Satur est, capaci ducit argento merum.
v. 911—16.

Sed frustra pocula haurit; frustra se ipse, frustra chorus illum ad lætitiam hilaritatemque hortatur: tenent occupatum et angunt tristissimæ futuri præsensiones; erumpunt cæci et obscuri doloris indicia, lacrimæ, gemitus, ejulatus:

Thy. Quid me revocas festumque vetas
Celebrare diem? Quid flere jubes,
Nulla surgens dolor ex causa?
Quis me prohibet flore decenti
Vincire comam? Prohibet, prohibet.
Chor. Vernæ capiti fluxere rosæ,
Pingui madidus crinis amomo
Subitos inter stetit horrores.
Imber vultu nolente cadit.
Venit in medias voces gemitus.
v. 946—955.

Maximum vero horrorem illi extremi versus movebunt:

Thy. Vagus intra
Terror oberrat, subitos fundunt
Oculi fletus nec causa subest.
Dolor an metus est?
An habet lacrimas magna voluptas?
v. 969—73.

Omnino præclarus hic locus et ad animos penitus concutiendos aptissimus.

Liberos deinde quærenti Thyestæ, ut eorum aspectu animi sollicitudinem depellat, diris ambagibus Atreus respondet plenumque puerorum sanguine poculum porrigit. Quod ubi ille accepit, quum horrenda exsistunt omina subitoque tenebræ terris inducuntur, vocem in his ipsis terroribus egregiæ pietatis emittit:

Quidquid est: fratri precor:
Gnatisque parcat, omnis in vile hoc caput
Abeat procella.
v. 999—1001.

Projicit tandem ad pedes ejus Atreus corporum laceratorum reliquias: quibus aspectis ille, quum frater quæsivit:

Natos ecquid agnoscis tuos?
v. 1009.

nobile illud respondet:

Agnosco fratrem.
v. 1010.

Quo quidem certe melius illustriusve concinnæ ejusdem et grandis brevitatis exemplum reperiri non potest.

Quidquid autem post illud Thyestes lamentatur, quod necesse est eveniat in eo dolore, quem vix cogitatione comprehendere, nedum verbis exprimere possis, mera insania et ampullarum aliarum super alias coacervatio est. Atrei vero exsultatione nihil certe immanius cogitari potest: qui descripta puerorum mactatione et ipsa præparatione dapis diligenter exposita, adjicit hæc:

Omnia hæc melius pater
Fecisse potuit, cecidit in cassum dolor:
Scidit ore natos inpio, sed nesciens,
Sed nescientes.
v. 1069—1072.

Quatenus autem in hac fabula Seneca aut secutus sit Græcos tragoediæ auctores aut ab illorum institutis recesserit, de ea re, quamquam de iis fabulis, quæ interierunt, non plus habemus cognitum, quam quantum suppeditant minuta sane et exigua ex Sophocle et Euripide et ex Ennio Accioque fragmenta, tamen vel sic pro certo affirmari nonnulla, alia saltem probabiliter conjici possunt [1]). Atque illud quidem in confessis est apud Euripidem et Sophoclem multo pluribus fuisse rebus actionem refertam, quam est apud Senecam: primum apud illos Aeropæ personam, Atrei conjugis, fuisse inductam, cujus hic nullum vestigium est: tum Thyesten ab exsilio non arcessitum fuisse ab Atreo, sed, quum lege aut pactione quadam exsularet, ultro in patriam re-

[1]) Welcker, Griech. Trag. I, 357—365, II, 675—689.

vertisse et ad aram in Atrei domum confugisse; eamque quum nollet relinquere atque etiam Aerope in societatem assumpta, quacum veterem stupri consuetudinem habuisset, novas in vitam an regnum fratris insidias temptasset, tum denique eam poenam, quam vidimus, fratri dedisse. Quas quidem Seneca res non modo idcirco omisit, ut, id quod studiose eum semper factitare videmus, plus sibi spatii ad locorum communium splendorem ubertatemque relinqueret, verum etiam, quod, sicut Iasonis scelus attenuando Medeam fecit horribiliorem, sic Atrei crudelitatem immanitatemque augeri putavit, si eum non novis insidiis lacessitum, sed vetere tantum odio commotum tam nefarium committentem scelus fecisset. Nam quæ optimo cuique poetæ in hoc argumento difficultas videri debebat vel maxima, quod tota res non modo extra fidem, sed etiam extra naturam posita esse videbatur, eam hic non modo non removere aut minuere, sed etiam complecti et de industria augere instituit: qui et Thyesten inducit bonum, probum, ab omni ambitione remotum, talem denique, qualis si re vera fuisset, numquam profecto fratri neque regnum eripere neque uxorem corrumpere voluisset, et in Atrei persona cum illa ferocia et crudelitate, quam argumentum necessario postulabat, conjungit eam, quæ ad rerum fidem non erat necessaria, foedissimam amoris et mollitudinis simulationem, quæ plus quam humanæ ac plane gratuitæ malitiæ videtur. Hæc igitur manifesta cum Græcis deprehenditur dissimilitudo: quæ sequuntur vero, rationem habent aliquanto obscuriorem. Non tamen dubitaverim contendere neque primum illum actum, ubi Tantali manes inducuntur, quod lumen hujus tragoediæ esse clarissimum diximus, neque Atrei cum satellite colloquium, quod rei exponendæ causa inductum, declamationis habet nimis, utilitatis ad negotium promovendum parum, apud ullum Græcæ tragoediæ principem potuisse reperiri. Nec vero puerorum mactationis ulla peculiaris apud Græcos videtur fuisse descriptio: vel quia facinus ingens et quod, si prospere cessurum esset, deberet esse quam occultissimum, ante exitum palam enuntiari nihil attinuit: in Euripidis Cressis præsertim, ubi chorum, quum ex Aeropæ ancillis constaret, Thyestæ partibus favisse verisimile est: vel quia præstantissimorum tragoediæ scriptorum rationi et arti vix consentaneum videtur fuisse distrahere ac discerpere eum horrorem, quem Atrei facinore oporteret moveri, et qui dolor in Thyesta uno suscipiendus esset, ejus tamquam particulam derivare ad pueros ac non totum et integrum ad id tempus reservare, quum Thyestes, quid passus esset, edoceretur ab Atreo; cujus ex persona — sicut et apud Senecam est et apud Sophoclem fuisse ex Acciano quodam fragmento suspicari licet — ea, quæ de puerorum casu erant dicenda, dici poterant optime, ut is mærori fra-

tris insultans totum ei mactationis ordinem diligenter exponeret. Jam vero quæ cum epulis ipsis conjuncta sunt quæque eas consequuntur, quum capita pedesque puerorum Atreus ante pedes Thyestæ projicit, ea quin apud Euripidem quidem a nuntio fuerint narrata, dubitari non potest: Sophocles qua ratione hunc locum tractarit, ut fragmenta tantummodo respicientibus obscurum, sic rei ipsius naturam intuentibus perspicuum est. Neque enim persuaderi cuiquam posse arbitror poetam arte sapientiaque præstantem producere in scenam sustinuisse hominem ejusmodi quum maxime dolore commotum, qui vehementer esset timendum, ne non modo animum ejus et mentem, sed etiam corpus cum summa foeditate convelleret. Extrema autem tragoediæ, quibus exsultans Atreus, mærens Thyestes inducitur, ad græcorum similitudinem maxime videntur accommodata.

Et quoniam eas fabulas absolvimus, quæ ab his editoribus, quos nos sequimur, solæ Senecæ putantur, transeundum jam ad reliquas est, quæ ab iisdem incerti auctoris inscribuntur, Agamemnonem, Herculem Œtæum, Octaviam. Quarum eam quidem, quam extremam nominavimus, nemo tam erit ineptus, qui a Seneca scriptam esse contendat: de ceteris magna inter doctissimos viros opinionum varietas est: inclinat tamen animus vehementer ad eam amplectendam sententiam, quæ separandas has fabulas a ceteris sejungendasque censet. Nam ut nihil de metrorum tractatione dicam, cujus in his fabulis nonnulla a prioribus exstat diversitas, ut elocutionem quoque harum omittam, in qua persuasum mihi habeo reperiri posse non pauca a Senecæ more loquendi abhorrentia, his igitur omissis, quæ ad institutum meum non pertinent, si genus ipsum dicendi et quasi colorem orationis intuemur, in summa similitudine dissimilitudines rursus invenientur eæ, quæ plurium potius scriptorum diversitati, quam unius inæqualitati assignandæ videantur. Quarum dissimilitudinum hæc pariter in primis illis duabus cernitur, quod, quum in prioribus vitia dicendi offendantur gravia illa quidem ac turpia, sed quæ plerumque tamen virtutis aliqua vicinitas speciosa commendet, eadem in his reperimus splendida multo minus et dulcia et quæ voluntatem quidem scribendi ac mentem arguant unam atque eandem, facultatis autem et ingenii multo minus. Accedit, quod in iisdem locos nonnullos offendimus ejusmodi, ut, quemadmodum aliorum quorundam in prioribus locorum consimiles exstiterint, nisi ad eorum ipsorum exemplar effictos atque expressos esse statueris, probabilem reddere rationem non possis. Tantum de universis erat dicendum: nunc videamus de singulis.

Agamemnonem Græcam unam tantummodo habemus Æschyli neque aut Sophoclis ullam aut Euripidis scimus fuisse. Quo magis mi-

randum videtur reperiri in hac latina tam multa, quæ ab Æschyleo argumento longe longeque discedant. Quod quidem, ut breviter amplectar, hujusmodi est.

Inducitur primum vetus quidam Agamemnonis famulus: qui custos in alta turre constitutus, ut, si quod signum ex Troja a Græco exercitu missum esset, exciperet, dum durum molestumque custodiæ laborem longamque domini absentiam lamentatur, conspicit subito ignem ex proxima specula accensum. Lætus igitur ad Clytæmnestram Græcorum victoriam nuntiatum accurrit: illa rem cum choro communicat: quo dubitante, an temere illa, ut mulier, nuntio crediderit, alius supervenit nuntius, Agamemnonis præco, Talthybius: a quo Clytæmnestra et Agamemnonem victorem reverti et ceteram Græcorum classem recenti tempestate disjectam cognoscit. Jam Agamemnon adest ipse: quem illa, quo magis omnis doli suspicio tollatur, iis honoribus excipit, ut viam ipsam, qua domum est ingressurus, tapetis purpureis sternat. Atque ille quidem intrat domum: Cassandra sequi jussa obstinato silentio abnuit. Ut vero Clytæmnestra quoque intus se recepit, tum divino furore concitata instantem et Agamemnonis mortem et suam prædicit. Mox Clytæmnestra cum Ægistho procedit occisumque a se esse Agamemnonem, adjunctis facinoris causis, impudentissime profitetur, aversante choro scelus et iram populi lapidationemque minitante. Ac de Æschylea quidem fabula hactenus.

Latinus vero poeta de primo illo nuntio silet, pro eo autem umbram Thyestæ Agamemnonis mortem prædicentem inducit. Prodit deinde Clytæmnestra dubia animi atque incerta et, quidnam agat, cum nutrice deliberans. Ac modo vetustæ cum viro simultatis originem causasque retractat; modo suscepti flagitii conscientia et redituri jamjam conjugis metu torquetur; modo funesta Pelopidarum domus exempla respiciens ad paria scelera se ipsa instigat; quum interim nutrix, ut semper hujusmodi in tragoediis nutrices, ad honesta consilia sedulo cohortatur. Ægisthi autem adventu repente Clytæmnestra mutatur: ostendente enim illo, quantum ab Agamemnone, si salvus redierit, periculum instet, nisi strenue aliquid providerint, illa rursus honesta jactare, poenitentiam agere, veniam delicti sperare. Quo tempore jam sua sponte sententiam fortiter tuenti nutrix satis acriter subvenit, quum ita in Ægisthum invehitur:

Subripere doctus fraude genialis toros
Quem venere tantum scimus illicita virum,
Facesse propere ac dedecus nostræ domus
Asporta ab oculis: hæc vacat regi viro.
v. 299—302.

Credas jam perculsum hominem esse atque prostratum: immo tunc ipsum, simulatque reginæ jussu et mortem et exsilium pati se paratum esse ostendit, iterum illa convertitur eique tam facile cedit, ut tota hæc ab ea terrendi tantummodo ignavissimi hominis causa commota contentio videatur.

Jam Eurybates advenit et ipse Agamemnonis præco: qui tempestatem, qua classis erat adflicta, in eaque Ajacis Oilei pereuntis necem describit. Nequaquam ex omni quidem parte contemnenda hæc est narratio neque ejusmodi, quam plane in eodem, quo priores descriptiones, genere ponas. Multo enim minus in singulis rebus moratur progrediturque et celerius et æquabilius: cujus quæ pulcherrima videntur, adjunximus:

Jam litus omne tegitur et campi latent
Et dubia parent montis Idæi juga.
Et id quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo,
In astra jam lux prona, jam præceps dies:
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phoebi jubar.
v. 477—84.

Describitur deinde tempestas:

Inferna nox est. Excidunt ignes tamen
Et nube dirum fulmen elisa micat
Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ:
Hoc lumen optant.
v. 515—18.

Præclara Ajacis quoque descriptio, quum fulmine ambustus et præceps in mare devolutus, ipse flagrans flagrantem navem comprehendit:

Cæco mari
Collucet Ajax. Omne resplendet fretum.
v. 563—64.

Occupata vero rupe victos a se deos, victum coelum, victum mare glorianti

Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus imis exerens undis caput
Solvitque montem quem cadens secum tulit
Terraque et igne victus et pelago jacet.
v. 574—75.

Hanc narrationem Cassandræ sequitur furor et vaticinatio: qui locus, quamquam granditate nimirum et spiritu nullo pacto cum Æschylo est comparandus, imitandi tamen eum et exprimendi minime dubiam co-

arguit voluntatem: nisi quod hic Agamemnone præsente non silet eique ipsi, quantum periculum instet, haud obscure significat. Occiso vero Agamemnone Electra domo se proripit Orestæ fratri perfugium quærens: quem Strophius vetus Agamemnonis hospes, qui tum ipsum ludicri certaminis victor belli victori amico gratulatum venit, orante Electra curru sublatum coronaque et palma victoriæ insignibus ornatum ex inimicorum manibus eripit. Extremum locum tenet Electræ cum interfectoribus patris altercatio.

Hæc hujus fabulæ compositio est: a qua priusquam discedo, duo tantum legentes admonitos velim. Unum est, vix credibile videri hanc fabulam ex Æschylo aut Æschylo solo esse expressam: statuendum pæne necessario aliam aliquam ejusdem argumenti Græcam fabulam exstitisse, ad cujus similitudinem hic suam aut totam aut partes ejus direxerit. Nam eorum, quibus hujus fabulæ ab Æschylea dissimilitudo maxime cernitur, pleraque eam habent condicionem, ut, quid in illis aut Senecæ aut alii cuipiam consimilis voluntatis scriptori tantopere placuerit, vix intelligi possit, quam belle autem ad Græcæ alicujus perfectissimæ fabulæ rationem fuerint factura, dubitari non queat. Quid enim? Quod jam ante adventum Agamemnonis occidendi ejus a Clytæmnestra et Ægistho palam ineuntur consilia, ut statim a principio, quid triumphanti et ad conjugis amplexum properanti regi impendeat, non sine horrore quodam præsentiamus: quod ille jam in extremo discrimine introiens domum, ubi manent interfectores, Cassandræ admonitionem contemnit; ut confirmetur hic quoque antiquissimum illud, Fortunam, quos perdere voluerit, occæcare: quod denique hac potissimum ratione ex domestica cæde elabitur Orestes cum faustissimis futuræ victoriæ et ultionis ominibus: qui quidem locus declamandi facultatem præbet exiguam, transitum autem ad Orestæ facinus tractandum optimum munit: hæc igitur omnia, si prudenter et artificiose et rerum naturæ convenienter essent pertexta, parum digna evasura fuisse censemus aut Sophocle aut Euripide aut si quis alius fuit nobilis tragoediæ scriptor? Mihi quidem tota hæc fabula, quum ceteris rebus ad Sophoclis maxime rationem componendi videtur accedere, tum in Electræ moribus et Orestæ fuga ita apte ejusdem Electræ fabulæ convenire, ut, nisi nullam ejus fuisse Agamemnonem constaret, illius maxime similitudinem hunc secutum esse haud dubitanter contenderem.

Alterum pertinet ad illa, quibus non Senecæ hanc fabulam esse probari videtur. Mirum est enim, quam in hac fabula aliud quam in prioribus genus dicendi, aliud quasi filum orationis offendas. Nihil hic reperimus, quod stupeamus, quod admiremur, quod laudemus, quod oderimus: jacent omnia et languent sine vi ac nervis et æquabili quadam

mediocritate non tam laudes merentur, quam reprehensionem effugiunt, ut videatur, quisquis hanc fabulam scripsit, aspirasse ille quidem ad illorum vitiorum, quibus illæ priores abundant, dulcedinem atque splendorem, consequi autem propter ingenii debilitatem potuisse raro, ut etiam nonnumquam non judicio, sed defatigatione ad sanam propemodum et simplicem orationem descenderit. Et quoniam diximus in his fabulis, quæ Senecæ abjudicantur, locos reperiri nonnullos, qui certorum quorundam in prioribus fabulis locorum imitationis adferrent suspicionem, ejus imitationis exemplum nullum adferre possumus manifestius, quam hujus ipsius fabulæ exordium: ex qua pauca subjecimus:

Thyestis umbra. Opaca linquens Ditis inferni loca
Adsum profundo Tartari emissus specu
Incertus utras oderim sedes magis:
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
v. 1—4.

Libet reverti. Nonne vel tristes lacus
Incolere satius?
v. 12—13.

Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hiberna longa spatia producunt mora
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur. Redde jam mundo diem.
v. 53—56.

Videmus simillima hæc esse iis, quæ in primo actu Thyestæ tractantur. Potest dici ab eodem hæc esse atque illa profecta consimilesque ab eo locos in Agamemnone prius quasi adumbratos, post in Thyesta vehementius esse tractatos et copiosius. At primum credibile non est res tam grandes, tam excelsas, tam omnibus orationis ornamentis accommodatas, tam paucis versibus non nimis excitata oratione delibatas potius quam pertractatas dimittere potuisse Senecam: quum præsertim non is sit, qui inopia et jejunitate laboret, sed qui plerumque etiam vitiose redundet. Deinde quod et Tantalus et Thyestes ad inferos reverti se malle declarat, id ex illius persona optime dicitur, qui invitus et repugnans ad nepotes perdendos agatur, ex hujus non item, qui, ut suum filium in fratris instiget, sua sponte in lucem redierit. Sed in aliis quoque locis nonnullis haud parva imitationis inest suspicio: quorum hos subjeci:

Clyt. Quid timida loqueris furta et exilium et fugas?
Soror ista fecit. Te decet majus nefas.
v. 124—5.

Medea. Hæc virgo feci, gravior exurgat dolor.
Majora jam me scelera post partus decent.
Med. v. 49—50.

γλαυκῆς ὀπώρας ὥστε πίονος ποτοῦ
χυθέντος ἐς γῆν Βακχίας ἀπ' ἀμπέλου.
Trach. 701—4.

id hic hoc pacto dilatat:

Nives ut Eurus solvit aut tepidus notus
Quas vere primo lubricus perdit Mimans
Utque evolutos frangit ionio salo
Opposita fluctus Leucas et lassus tumor
In litore ipso spumat aut cælestibus
Aspersa tepida tura laxantur focis:
Sic languet omne vellus et perdit comas
Dumque ista miror, causa mirandi perit.
v. 733—40.

Sed ad rem revertamur.

Apud Sophoclem Dejanira, ut primum ab Hyllo accepit, quantum mali marito imprudens inflixerit, statim tacita et pudibunda ad moriendum secedit. Apud hunc vero nequaquam tam quiete res agitur. Decantatur continuo illa cantilena, quam harum tragoediarum nulla non habet instituiturque grandissima illa dubitatio, suspendione melius an ferro an fabuloso aliquo supplicio vita finiatur: quum interim nutrix et Hyllus in vita eam retinere conantur. Ad extremum, sequente tamen Hyllo, in interiorem se domum proripit.

Adfertur jam Hercules, qui solus primo, tum coram Alcmene, brevi post filio quoque et Philocteta præsentibus, perpetuum ampullarum portentorumque flumen effundit. Non potest hic locus describi: legatur necesse est, ut, qualis sit, plane intelligatur. Qui autem legerit, quidnam sit turgidum genus dicendi, profecto numquam requiret. Elucet tamen in hac ineptiarum ampullarumque farragine, tamquam in fumo scintilla, is locus, quum Hercules audita conjugis morte cognitoque, in quantum malum inciderit, antiquum quoddam oraculum hoc eventu comprobatum agnoscit et omnibus querelis abjectis nihil aliud agit, quam ut, suorum rebus constitutis, ipse, quam pulcherrime possit, excedat e vita:

Habet peractum est, fata se nostra explicant
Lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat. — — — — —
Nil querimur ultra: decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculi victor foret.
Nunc mors legatur clara memoranda incluta
Me digna prorsus: nobilem hunc faciam diem.
v. 1476—78, 1483—86.

Consistit in hoc loco Sophoclis fabula: hæc vero aliquanto plura comprehendit. Nam primum Herculis interitus narratur: qua narra-

mus! Dejanira autem ipsa quam honesta, quam amans, quam amabilis inducitur! Quæ, quum captæ Oechalides in ædes inducuntur, quamquam tunc ipsum, postquam vicisse Herculem et salvum redire cognovit, exsultat lætitia, tamen lacrimas alienæ calamitati debitas fundit imprimisque Iolen ipsam eo formæ decore fulgentem, quod metum et suspicionem facile possit movere, summa misericordia benevolentiaque prosequitur. Quum vero Euryti filiam esse et amari ab Hercule rescivit, quam patienter dolet, quam summisse, quam liberaliter! Quam facile marito ignoscit! Quam nihil pellici succenset! Ac ne Herculis quidem mores omittit poeta, quin breviter dumtaxat significet: cujus magnus et simplex animus declaratur, quum Lichas, quod Dejaniram de Iola celavit, id suo se consilio fecisse confirmat, non Herculis jussu, quem nisi aperte et simpliciter acturum esse quicquam negat.

At in latina fabula primum ab Hercule centum versibus victoriæ suæ laboresque prædicantur et ea quidem jactantia, ut præ confidentia superbiaque vix mente constare videatur. Tum Iole cum choro, qui ex captivis mulieribus constat, interitum patriæ complorat. Mox Dejanira prorumpit: quam furere vehementer et nutricem secum habere non necesse est dicere. Nunc Herculem, nunc se ipsam, nunc pellicem jugulaturam se clamat; sed ne his quidem facinoribus est contenta:

Si quid e nostro Hercule
Concepit Iole: manibus avellam meis.
v. 348—49.

Novimus jam satis, opinor, amabilem feminam. Præterea ut primum illa furoris tempestas detonuit, nihil aliud quam pallam sanguine Nessi illitam mittit: quo quidem loco primum aliquid ex Sophocle sumptum agnoscimus. Nam et Nessi letum similiter narratur et, quod mirere, genere dicendi propemodum sano et Lichæ ad Herculem abeunti eadem fere a Dejanira mandantur; quæ hic tandem veram et simplicem vocem emittit:

Cape hos amictus nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbe fertur et victus mero
Tenet feroci lydiam gremio nurum.
v. 574—76.

Missa palla pestifera Nessei sanguinis vis eodem quo apud Sophoclem pacto deprehenditur. Non alienum erit animadvertere, quam dissimiliter hic una eademque res a Sophocle et ab hoc efferatur. Nam quod Sophocles de lana, quæ sanguine imbuta consumitur, ita posuit:

ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν
προὔκειτ᾽, ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί,

γλαυκῆς ὀπώρας ὥστε πίονος ποτοῦ
χυθέντος ἐς γῆν Βακχίας ἀπ' ἀμπέλου.
Trach. 701—4.

id hic hoc pacto dilatat:

Nives ut Eurus solvit aut tepidus notus
Quas vere primo lubricus perdit Mimans
Utque evolutos frangit ionio salo
Opposita fluctus Leucas et lassus tumor
In litore ipso spumat aut cælestibus
Aspersa tepida tura laxantur focis:
Sic languet omne vellus et perdit comas
Dumque ista miror, causa mirandi perit.
v. 733—40.

Sed ad rem revertamur.

Apud Sophoclem Dejanira, ut primum ab Hyllo accepit, quantum mali marito imprudens inflixerit, statim tacita et pudibunda ad moriendum secedit. Apud hunc vero nequaquam tam quiete res agitur. Decantatur continuo illa cantilena, quam harum tragoediarum nulla non habet instituiturque grandissima illa dubitatio, suspendione melius an ferro an fabuloso aliquo supplicio vita finiatur: quum interim nutrix et Hyllus in vita eam retinere conantur. Ad extremum, sequente tamen Hyllo, in interiorem se domum proripit.

Adfertur jam Hercules, qui solus primo, tum coram Alcmene, brevi post filio quoque et Philocteta præsentibus, perpetuum ampullarum portentorumque flumen effundit. Non potest hic locus describi: legatur necesse est, ut, qualis sit, plane intelligatur. Qui autem legerit, quidnam sit turgidum genus dicendi, profecto numquam requiret. Elucet tamen in hac ineptiarum ampullarumque farragine, tamquam in fumo scintilla, is locus, quum Hercules audita conjugis morte cognitoque, in quantum malum inciderit, antiquum quoddam oraculum hoc eventu comprobatum agnoscit et omnibus querelis abjectis nihil aliud agit, quam ut, suorum rebus constitutis, ipse, quam pulcherrime possit, excedat e vita:

Habet peractum est, fata se nostra explicant
Lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
Fatidica quondam dederat. — — — — —
Nil querimur ultra: decuit hunc finem dari,
Ne quis superstes Herculi victor foret.
Nunc mors legatur clara memoranda incluta
Me digna prorsus: nobilem hunc faciam diem.
v. 1476—78, 1483—86.

Consistit in hoc loco Sophoclis fabula: hæc vero aliquanto plura comprehendit. Nam primum Herculis interitus narratur: qua narra-

tione, ut breviter dicam nemo certe mortalis aut verbosius quicquam aut insulsius scripsit. Hanc Hylli et Alcmenæ sequuntur lamentationes: quibus defuncti quum ad exitum tandem pervenisse nobis videmur, en Hercules ipse ex coelo delabitur deorumque in numerum receptum se esse demonstrat. Hic demum securi respiremus licet.

Rerum igitur summas hic partim a Sophocle, partim ab Ovidio sumpsit: quem et in Dejaniræ moribus et in Herculis morte secutus vel maxime est. Priorum vero fabularum quum omnino hæc fabula habet similia multa, tum Herculis Furentis unius omnium plurima: quam quidem non modo sententiis multis, sed etiam ipsius argumenti conformatione plane refert et exprimit. Pariter enim utriusque in Herculis gloria prædicanda principia versantur: pariter Hercules in utraque brevi furore correptus inducitur: tum, ut Herculem in illa, sic Dejaniram in hac funestum errorem voluntaria morte punientem retinere in vita sui conantur. Sed hactenus universe: jam singulos locos proferamus:

Herc. Parui certe Jove
Ubique dignus teque testata est meum
Patrem noverca.
v. 8—10.

Amph. Nondum liquet de patre? Mentimur Jovem?
Junonis odio crede.
H. F. 450—51.

Herc. Vel si times ne terra concipiat feras
Properet malum quodcumque, dum terra Herculem
Habet videtque.
v. 34—36.

Herc. Si quod etiamnum est scelus
Latura tellus, properet et si quod paret
Monstrum, meum sit.
H. F. v. 942—49.

Herc. Hercules monstri loco
Jam coepit esse.
v. 55—6.

Herc. Purgare terras propero. Jamdudum mihi
Monstrum impium sævumque et immite ac ferum
Oberrat.
H. F. 1286—88.

Nutrix. Nunc inardescunt genæ,
Pallor ruborem pellit et formas dolor
Errat per omnes.
v. 254—56.

Chorus. Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem:

Nullum vagante forma
Servat diu colorem.
Med. 866—69.

Nutrix. Pectoris sani parum
Alumna quæstus comprime.
v. 278—79.

Amph. Pectoris sani parum
Magni tamen compesce dementem impetum.
H. F. 979—80.

Nutrix. Præstare fateor posse me tacitam fidem.
v. 483.

Senex. Præstare tacitam regibus soleo fidem.
Œd. v. 829.

Nutrix. Precibus tu deum invictum advoca
Qui certa tenera tela dimittit manu.
v. 542—43.

Nutrix. Ille (Amor) per coelum volans
Proterva tenera tela molitur manu.
Ph. v. 204—5.

Dejanira. Levis una mors est, levis, at extendi potest.
v. 870.

Nuntius. «Quod sæpe fieri non potest, fiat diu
Mors eligatur longa».
Œd. 969—70.

Dejanira. Eligere nescis anime cui telo incubes?
v. 871.

Jocaste. Utrumne pectori infigam meo
Telum an patenti conditum jugulo inprimam?
Eligere nescis vulnus.
Œd. v. 1058—60.

Hyllus. Si novi Herculem
Aderit cruenti forsitan victor mali.
v. 915—16.

Theseus. Si novi Herculem
Lycus Creonti debitas poenas dabit.
H. F. v. 655—56.

Chorus. Sed quis non modicus fragor
Aures attonitas movet?
Est, est Herculeus sonus.
v. 1132—34.

tris insultans totum ei mactationis ordinem diligenter exponeret. Jam vero quæ cum epulis ipsis conjuncta sunt quæque eas consequuntur, quum capita pedesque puerorum Atreus ante pedes Thyestæ projicit, ea quin apud Euripidem quidem a nuntio fuerint narrata, dubitari non potest: Sophocles qua ratione hunc locum tractarit, ut fragmenta tantummodo respicientibus obscurum, sic rei ipsius naturam intuentibus perspicuum est. Neque enim persuaderi cuiquam posse arbitror poetam arte sapientiaque præstantem producere in scenam sustinuisse hominem ejusmodi quum maxime dolore commotum, qui vehementer esset timendum, ne non modo animum ejus et mentem, sed etiam corpus cum summa foeditate convelleret. Extrema autem tragoediæ, quibus exsultans Atreus, mærens Thyestes inducitur, ad græcorum similitudinem maxime videntur accommodata.

Et quoniam eas fabulas absolvimus, quæ ab his editoribus, quos nos sequimur, solæ Senecæ putantur, transeundum jam ad reliquas est, quæ ab iisdem incerti auctoris inscribuntur, Agamemnonem, Herculem Œtæum, Octaviam. Quarum eam quidem, quam extremam nominavimus, nemo tam erit ineptus, qui a Seneca scriptam esse contendat: de ceteris magna inter doctissimos viros opinionum varietas est: inclinat tamen animus vehementer ad eam amplectendam sententiam, quæ separandas has fabulas a ceteris sejungendasque censet. Nam ut nihil de metrorum tractatione dicam, cujus in his fabulis nonnulla a prioribus exstat diversitas, ut elocutionem quoque harum omittam, in qua persuasum mihi habeo reperiri posse non pauca a Senecæ more loquendi abhorrentia, his igitur omissis, quæ ad institutum meum non pertinent, si genus ipsum dicendi et quasi colorem orationis intuemur, in summa similitudine dissimilitudines rursus invenientur eæ, quæ plurium potius scriptorum diversitati, quam unius inæqualitati assignandæ videantur. Quarum dissimilitudinum hæc pariter in primis illis duabus cernitur, quod, quum in prioribus vitia dicendi offendantur gravia illa quidem ac turpia, sed quæ plerumque tamen virtutis aliqua vicinitas speciosa commendet, eadem in his reperimus splendida multo minus et dulcia et quæ voluntatem quidem scribendi ac mentem arguant unam atque eandem, facultatis autem et ingenii multo minus. Accedit, quod in iisdem locos nonnullos offendimus ejusmodi, ut, quemadmodum aliorum quorundam in prioribus locorum consimiles exstiterint, nisi ad eorum ipsorum exemplar effictos atque expressos esse statueris, probabilem reddere rationem non possis. Tantum de universis erat dicendum: nunc videamus de singulis.

Agamemnonem Græcam unam tantummodo habemus Æschyli neque aut Sophoclis ullam aut Euripidis scimus fuisse. Quo magis mi-

randum videtur reperiri in hac latina tam multa, quæ ab Æschyleo argumento longe longeque discedant. Quod quidem, ut breviter amplectar, hujusmodi est.

Inducitur primum vetus quidam Agamemnonis famulus: qui custos in alta turre constitutus, ut, si quod signum ex Troja a Græco exercitu missum esset, exciperet, dum durum molestumque custodiæ laborem longamque domini absentiam lamentatur, conspicit subito ignem ex proxima specula accensum. Lætus igitur ad Clytæmnestram Græcorum victoriam nuntiatum accurrit: illa rem cum choro communicat: quo dubitante, an temere illa, ut mulier, nuntio crediderit, alius supervenit nuntius, Agamemnonis præco, Talthybius: a quo Clytæmnestra et Agamemnonem victorem reverti et ceteram Græcorum classem recenti tempestate disjectam cognoscit. Jam Agamemnon adest ipse: quem illa, quo magis omnis doli suspicio tollatur, iis honoribus excipit, ut viam ipsam, qua domum est ingressurus, tapetis purpureis sternat. Atque ille quidem intrat domum: Cassandra sequi jussa obstinato silentio abnuit. Ut vero Clytæmnestra quoque intus se recepit, tum divino furore concitata instantem et Agamemnonis mortem et suam prædicit. Mox Clytæmnestra cum Ægistho procedit occisumque a se esse Agamemnonem, adjunctis facinoris causis, impudentissime profitetur, aversante choro scelus et iram populi lapidationemque minitante. Ac de Æschylea quidem fabula hactenus.

Latinus vero poeta de primo illo nuntio silet, pro eo autem umbram Thyestæ Agamemnonis mortem prædicentem inducit. Prodit deinde Clytæmnestra dubia animi atque incerta et, quidnam agat, cum nutrice deliberans. Ac modo vetustæ cum viro simultatis originem causasque retractat; modo suscepti flagitii conscientia et redituri jamjam conjugis metu torquetur; modo funesta Pelopidarum domus exempla respiciens ad paria scelera se ipsa instigat; quum interim nutrix, ut semper hujusmodi in tragoediis nutrices, ad honesta consilia sedulo cohortatur. Ægisthi autem adventu repente Clytæmnestra mutatur: ostendente enim illo, quantum ab Agamemnone, si salvus redierit, periculum instet, nisi strenue aliquid providerint, illa rursus honesta jactare, poenitentiam agere, veniam delicti sperare. Quo tempore jam sua sponte sententiam fortiter tuenti nutrix satis acriter subvenit, quum ita in Ægisthum invehitur:

> Subripere doctus fraude genialis toros
> Quem venere tantum scimus illicita virum,
> Facesse propere ac dedecus nostræ domus
> Asporta ab oculis: hæc vacat regi viro.
> v. 299—302.

Credas jam perculsum hominem esse atque prostratum: immo tunc ipsum, simulatque reginæ jussu et mortem et exsilium pati se paratum esse ostendit, iterum illa convertitur eique tam facile cedit, ut tota hæc ab ea terrendi tantummodo ignavissimi hominis causa commota contentio videatur.

Jam Eurybates advenit et ipse Agamemnonis præco: qui tempestatem, qua classis erat adflicta, in eaque Ajacis Oilei pereuntis necem describit. Nequaquam ex omni quidem parte contemnenda hæc est narratio neque ejusmodi, quam plane in eodem, quo priores descriptiones, genere ponas. Multo enim minus in singulis rebus moratur progrediturque et celerius et æquabilius: cujus quæ pulcherrima videntur, adjunximus:

Jam litus omne tegitur et campi latent
Et dubia parent montis Idæi juga.
Et id quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo,
In astra jam lux prona, jam præceps dies:
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phoebi jubar.
v. 477—84.

Describitur deinde tempestas:

Inferna nox est. Excidunt ignes tamen
Et nube dirum fulmen elisa micat
Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ:
Hoc lumen optant.
v. 515—18.

Præclara Ajacis quoque descriptio, quum fulmine ambustus et præceps in mare devolutus, ipse flagrans flagrantem navem comprehendit:

Cæco mari
Collucet Ajax. Omne resplendet fretum.
v. 563—64.

Occupata vero rupe victos a se deos, victum coelum, victum mare glorianti

Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus imis exerens undis caput
Solvitque montem quem cadens secum tulit
Terraque et igne victus et pelago jacet.
v. 574—75.

Hanc narrationem Cassandræ sequitur furor et vaticinatio: qui locus, quamquam granditate nimirum et spiritu nullo pacto cum Æschylo est comparandus, imitandi tamen eum et exprimendi minime dubiam co-

arguit voluntatem: nisi quod hic Agamemnone præsente non silet eique ipsi, quantum periculum instet, haud obscure significat. Occiso vero Agamemnone Electra domo se proripit Orestæ fratri perfugium quærens: quem Strophius vetus Agamemnonis hospes, qui tum ipsum ludicri certaminis victor belli victori amico gratulatum venit, orante Electra curru sublatum coronaque et palma victoriæ insignibus ornatum ex inimicorum manibus eripit. Extremum locum tenet Electræ cum interfectoribus patris altercatio.

Hæc hujus fabulæ compositio est: a qua priusquam discedo, duo tantum legentes admonitos velim. Unum est, vix credibile videri hanc fabulam ex Æschylo aut Æschylo solo esse expressam: statuendum pæne necessario aliam aliquam ejusdem argumenti Græcam fabulam exstitisse, ad cujus similitudinem hic suam aut totam aut partes ejus direxerit. Nam eorum, quibus hujus fabulæ ab Æschylea dissimilitudo maxime cernitur, pleraque eam habent condicionem, ut, quid in illis aut Senecæ aut alii cuipiam consimilis voluntatis scriptori tantopere placuerit, vix intelligi possit, quam belle autem ad Græcæ alicujus perfectissimæ fabulæ rationem fuerint factura, dubitari non queat. Quid enim? Quod jam ante adventum Agamemnonis occidendi ejus a Clytæmnestra et Ægistho palam ineuntur consilia, ut statim a principio, quid triumphanti et ad conjugis amplexum properanti regi impendeat, non sine horrore quodam præsentiamus: quod ille jam in extremo discrimine introiens domum, ubi manent interfectores, Cassandræ admonitionem contemnit; ut confirmetur hic quoque antiquissimum illud, Fortunam, quos perdere voluerit, occæcare: quod denique hac potissimum ratione ex domestica cæde elabitur Orestes cum faustissimis futuræ victoriæ et ultionis ominibus: qui quidem locus declamandi facultatem præbet exiguam, transitum autem ad Orestæ facinus tractandum optimum munit: hæc igitur omnia, si prudenter et artificiose et rerum naturæ convenienter essent pertexta, parum digna evasura fuisse censemus aut Sophocle aut Euripide aut si quis alius fuit nobilis tragoediæ scriptor? Mihi quidem tota hæc fabula, quum ceteris rebus ad Sophoclis maxime rationem componendi videtur accedere, tum in Electræ moribus et Orestæ fuga ita apte ejusdem Electræ fabulæ convenire, ut, nisi nullam ejus fuisse Agamemnonem constaret, illius maxime similitudinem hunc secutum esse haud dubitanter contenderem.

Alterum pertinet ad illa, quibus non Senecæ hanc fabulam esse probari videtur. Mirum est enim, quam in hac fabula aliud quam in prioribus genus dicendi, aliud quasi filum orationis offendas. Nihil hic reperimus, quod stupeamus, quod admiremur, quod laudemus, quod oderimus: jacent omnia et languent sine vi ac nervis et æquabili quadam

mediocritate non tam laudes merentur, quam reprehensionem effugiunt, ut videatur, quisquis hanc fabulam scripsit, aspirasse ille quidem ad illorum vitiorum, quibus illæ priores abundant, dulcedinem atque splendorem, consequi autem propter ingenii debilitatem potuisse raro, ut etiam nonnumquam non judicio, sed defatigatione ad sanam propemodum et simplicem orationem descenderit. Et quoniam diximus in his fabulis, quæ Senecæ abjudicantur, locos reperiri nonnullos, qui certorum quorundam in prioribus fabulis locorum imitationis adferrent suspicionem, ejus imitationis exemplum nullum adferre possumus manifestius, quam hujus ipsius fabulæ exordium: ex qua pauca subjecimus:

Thyestis umbra. Opaca linquens Ditis inferni loca
Adsum profundo Tartari emissus specu
Incertus utras oderim sedes magis:
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
v. 1—4.

Libet reverti. Nonne vel tristes lacus
Incolere satius?
v. 12—13.

Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hiberna longa spatia producunt mora
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur. Redde jam mundo diem.
v. 53—56.

Videmus simillima hæc esse iis, quæ in primo actu Thyestæ tractantur. Potest dici ab eodem hæc esse atque illa profecta consimilesque ab eo locos in Agamemnone prius quasi adumbratos, post in Thyesta vehementius esse tractatos et copiosius. At primum credibile non est res tam grandes, tam excelsas, tam omnibus orationis ornamentis accommodatas, tam paucis versibus non nimis excitata oratione delibatas potius quam pertractatas dimittere potuisse Senecam: quum præsertim non is sit, qui inopia et jejunitate laboret, sed qui plerumque etiam vitiose redundet. Deinde quod et Tantalus et Thyestes ad inferos reverti se malle declarat, id ex illius persona optime dicitur, qui invitus et repugnans ad nepotes perdendos agatur, ex hujus non item, qui, ut suum filium in fratris instiget, sua sponte in lucem redierit. Sed in aliis quoque locis nonnullis haud parva imitationis inest suspicio: quorum hos subjeci:

Clyt. Quid timida loqueris furta et exilium et fugas?
Soror ista fecit. Te decet majus nefas.
v. 124—5.

Medea. Hæc virgo feci, gravior exurgat dolor.
Majora jam me scelera post partus decent.
Med. v. 49—50.

cendi artificia fluxerunt; hinc illæ argutiæ, illæ figuræ, illa enthymemata: hinc illæ acutæ brevesque sententiæ, quibus ita abundat poeta, ut, quemadmodum Lydorum illum regem, quicquid manu attigisset, in aurum vertisse fabulæ produnt, sic ille nihil oratione attigisse videatur, quod non statim in sententiam formaretur. Hinc etiam illa locorum communium de fortuna, de morte, de seculi luxu copia et ubertas molestissima: hinc denique ille descriptionum constantissimus morbus, cui dum indulget, quid rerum convenientia aut argumenti ratio poscat, plane neglegit atque contemnit.

In græcis autem fabulis commutandis quod institutum quodque consilium secutus sit, jam omnibus spero parere: quas ea scilicet mente ita undique amputabat et circumcidebat, quo facilius in eas tamquam foliorum sic rerum ubertate nudatas inserere suos locorum descriptionumque quasi quosdam surculos posset. Tum, quemadmodum declamatores illi litem quidem ipsam thesi habebant constitutam, colores autem, quos vocabant, ad suum sumebant arbitrium, ita ille rerum summas a Græcis petebat, personas ad sua consilia rationesque tractabat: in quo ipso opere ita est versatus, ut a scholasticorum similitudine aut raro aut numquam discesserit. Ita enim statuo: in hoc genere neque Senecæ ullam esse virtutem, quæ non apud illos æque magna reperiatur, neque vitium rursus illorum esse ullum, quo non pæne graviore laboraverit Seneca. Nam quid deceret et quid satis esset, neque hic neque illi videbant: pariter naturam veritatemque ducem aspernabantur, pariter cæcum et pene furiosum impetum dicendi sequebantur: verumtamen et apud hunc et apud illos quum in pietate exprimenda nonnumquam mollitiam quandam et dolorem, tum in odiis exprimendis vim fere semper et ardorem reperias. Quo quidem genere quamquam controversiæ illæ abundant, ut magna exemplorum suppetat copia, tamen prima earum una omnium ad hanc, quam jam sæpe appellamus, similitudinem illustrandam maxime videtur idonea; ubi odium fraternum tam acerbum, tam flagrans inducitur, ut nihil profecto Thyesteo illi, quod Seneca expressit, concesserit.

Sunt alia quoque in Seneca nonnulla, quæ si quis volet, poterit ex eodem fonte repetere: quorum hæc potissimum tria commemorabo, quia, ut mea quidem opinio fert, ab hoc ipso Seneca profecta in recentioris ætatis tragoedias influxerunt. Quorum illud est unum, quod jam antea significavimus, quod, quas personas regiæ dignitatis induxit, in iis studiosissime solet non tam communem vitæ humanæ quam propriam regni ipsius condicionem exponere; ut multa de excelsi fastigii periculis, multa de diversis rationibus regnandi, multa de eorum, qui sub regibus vivunt, odio in reges perfidiaque dicantur: ut plane

mus! Dejanira autem ipsa quam honesta, quam amans, quam amabilis inducitur! Quæ, quum captæ Oechalides in ædes inducuntur, quamquam tunc ipsum, postquam vicisse Herculem et salvum redire cognovit, exsultat lætitia, tamen lacrimas alienæ calamitati debitas fundit imprimisque Iolen ipsam eo formæ decore fulgentem, quod metum et suspicionem facile possit movere, summa misericordia benevolentiaque prosequitur. Quum vero Euryti filiam esse et amari ab Hercule rescivit, quam patienter dolet, quam summisse, quam liberaliter! Quam facile marito ignoscit! Quam nihil pellici succenset! Ac ne Herculis quidem mores omittit poeta, quin breviter dumtaxat significet: cujus magnus et simplex animus declaratur, quum Lichas, quod Dejaniram de Iola celavit, id suo se consilio fecisse confirmat, non Herculis jussu, quem nisi aperte et simpliciter acturum esse quicquam negat.

At in latina fabula primum ab Hercule centum versibus victoriæ suæ laboresque prædicantur et ea quidem jactantia, ut præ confidentia superbiaque vix mente constare videatur. Tum Iole cum choro, qui ex captivis mulieribus constat, interitum patriæ complorat. Mox Dejanira prorumpit: quam furere vehementer et nutricem secum habere non necesse est dicere. Nunc Herculem, nunc se ipsam, nunc pellicem jugulaturam se clamat; sed ne his quidem facinoribus est contenta:

Si quid e nostro Hercule
Concepit Iole: manibus avellam meis.
v. 348—49.

Novimus jam satis, opinor, amabilem feminam. Præterea ut primum illa furoris tempestas detonuit, nihil aliud quam pallam sanguine Nessi illitam mittit: quo quidem loco primum aliquid ex Sophocle sumptum agnoscimus. Nam et Nessi letum similiter narratur et, quod mirere, genere dicendi propemodum sano et Lichæ ad Herculem abeunti eadem fere a Dejanira mandantur; quæ hic tandem veram et simplicem vocem emittit:

Cape hos amictus nostra quos nevit manus,
Dum vagus in orbe fertur et victus mero
Tenet feroci lydiam gremio nurum.
v. 574—76.

Missa palla pestifera Nessei sanguinis vis eodem quo apud Sophoclem pacto deprehenditur. Non alienum erit animadvertere, quam dissimiliter hic una eademque res a Sophocle et ab hoc efferatur. Nam quod Sophocles de lana, quæ sanguine imbuta consumitur, ita posuit:

ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν
προὔκειτ᾽, ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί,

Odia ipsa premere. Multa dominantem vetat
Amor suorum, plus in iratos licet.
Phoen. Fr. 292 – 96.

Odia qui nimium timet
Regnare nescit: regna custodit metus.
Œd. 716—17.

Nobis maligni judices æqui sibi (reges)
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quicquid aliis non licet, solis licet.
Agam. 271—73.

Ferrum tuetur principem.
Oct. 468.

Invisa fere imperia sunt. B. III, 19, 4.

Quo plura possis, plura patienter feras.
Tr. 263.

Minimum decet libere cui multum licet.
Tr. 345.

Hoc plus verere quod licet tantum tibi.
Oct. 462.

Majora semper populus a summo exigit.
Oct. 587.

Multa tibi non licent quæ humillimis et in angulo jacentibus licent. Dial. XI, 6, 4.

Invisa numquam imperia retinentur diu.
Phoen. Fr. 298.

Violenta nemo imperia continuit diu.
Tr. 267.

Quos cogit metus
Laudare eosdem reddit inimicos metus.
Th. 207—8.

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentis.
Œd. 718—19.

Non potest diu stare potentia, quæ multorum malo exercetur. D. V, 16, 2.

Tantum necesse est timeat quantum timeri voluit. Clem. I, 19, 5.

Qui timetur, timet. Ep. 105, 4.

Perlucet omne regiæ vitium domus.
Agam. 149.

Nostros motus pauci sentiunt. — Tibi non magis quam soli latere contingit. Multa contra te lux est. Clem. I, 8, 4.

Nec me fugit quam durus et veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Ph. 141—2.

Difficile quam sit animum ab ira flectere
Jam concitatum quamque regale hoc putet
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua coepit ire, regia didici mea.
Med. 203—6.

Omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cujus rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet ille qui verum dicat. . . . . secuti iram quam nemo revocavit, multorum sanguinem hauserunt fusuri novissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis flectique non minus existimant turpe quam vinci. B. VI, 30, 2–5.

Falsis magna nominibus placent.
Thy. 444.

Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis.
Œd. 6—7.

Ego esse quicquam sceptra nisi vano putem
Fulgore tectum nomen et falso comam
Vinclo decentem?
Tro. 280—3.

Isti quos pro felicibus aspicis, si non qua occurrunt sed qua latent videris, miseri sunt . . . Non est ista solida et sincera felicitas. D. I, 6, 4.

Omnia ista bona quæ nos speciosa sed fallaci voluptate delectant. D. XI, 9, 5.

Tibi mors paramur.
Sis licet segnis, properamus ipsi.
Prima quæ vitam dedit hora carpit.
H. F. 876—9.

Omnes petimus fata nec amplius
Juratos superis qui tetigit lacus
Usquam est.
Tro. 399—401.

Tempus nos avidum devorat et Chaos.
Quæris quo jaceas post obitum loco?
Quo non nata jacent.

Tro. 411—10.

Tænara et aspero
Regnum sub domino limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio
Rumores vacui verbaque inania
Et par sollicito fabula somnio.

Tro. 413—17.

Cogita nullis defunctum malis adfici: illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse; . . . si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur . . . nec potest miser esse qui nullus est. D. VI, 19, 4—6.

Ex quo natus es, duceris. Ep. 4, 9. Non enim subito impulsi ac prostrati sumus: carpimur. Ep. 26, 4.

Mors est non esse. Id quale sit jam scio. Hoc erit post me quod ante me fuit. Ep. 54, 4.

Ex illo (die) quo primum lucem videt iter mortis ingressus est. D. VI, 21, 6.

Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit. Ep. 120, 18.

Duræ peragunt pensa sorores
Nec sua retro fila revolvunt.
At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis incerta sui.

H. F. 183—6.

Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet
Nulli scriptum proferre diem.

H. F. 190—2.

Fatis agimur: cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quicquid petimus mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto
Servatque suæ decreta colus
Lachesis dura revoluta manu.
Omnia recto tramite vadunt
Primusque dies dedit extremum.
Non illa deo vertisse licet

Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus prece non ulla
Mobilis ordo.
Œd. 1001—13.

Solvitur quod cuique promissum est. Eunt via sua fata nec adjiciunt quicquam nec ex promisso semel demunt. Frustra vota ac studia sunt. Habebit quisque quantum illi dies primus adscripsit. D. VI, 21, 6.

Quicquid est quod nos sic vivere, sic mori jussit, eadem necessitate et deos adligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. D. I, 5, 8.

Fata nos ducunt et quantum cuique temporis restat prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa. — Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas. D. I, 5, 7.

Fata irrevocabiliter jus suum peragunt nec ulla commoventur prece . . . Non misericordia flecti, non gratia sciunt. N. Q. II, 25, 2.

Rata et fixa sunt et magna atque æterna necessitate ducuntur. — Series invicta et nulla mutabilis ope illigavit ac trahit cuncta. Ep. 77, 12.

Cogi qui potest nescit mori.
H. F. 431.

Si piget luctus, habes
Mortem paratam.
H. F. 1032—3.

Ubique mors est, optime hoc cavit deus:
Eripere vitam nemo non homini potest,
At nemo mortem: mille ad hunc aditus patent.
Œd. Fr. 151—3.

Mori volenti desse mors numquam potest.
Ph. 886.

Tuta est perire quæ potest debet cupit.
Tro. 583.

Heu quam dulce malum mentibus additum
Vitæ dirus amor, cum pateat mali
Effugium et miseros libera mors vocet
Portus æterna placidus quiete.
Ag. 610—13.

O quam miserum est nescire mori.
Ag. 635.

Frustra tenetur ille qui statuit mori.
H. Œt. 926,

Ante omnia cavi (deus), ne quis vos teneret invitos. Patet exitus. Ideo ex omnibus rebus quas vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori. D. I, 6, 7.

Mors ubique superest. N. Q. V, 18, 9.

Patent undique ad libertatem viæ multæ breves, faciles. Agamus deo gratias, quod nemo in vita teneri potest. Ep. 12, 10.

Qui mori didicit, servire dedidicit. — Una est catena, quæ nos adligatos tenet, amor vitæ. Ep. 26, 10.

Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna et æterna pax. D. VI, 19, 6.

In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus nisi mortis. D. XI, 9, 7.

Mors optimum inventum naturæ. D. VI, 20, 1.

Non est ut putas virtus pater
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare nec se vertere ac retro dare.
Resiste: tantis in malis vinci mori est.
Œd. Fr. 190—3.

At in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus. — Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire. Ep. 24, 24—25.

Non adferam mihi manus propter dolorem: sic mori vinci est. Ep. 58, 36.

Qui morte cunctos luere supplicium jubet
Nescit tyrannus esse. Diversa irroga:
Miserum veta perire, felicem jube.
H. F. 515—17.

De fine poenæ loqueris: ego poenam volo.
Perimat tyrannus lenis: in regno meo
Mors impetratur.
Thy. 246—48.

Si vis Ulixe cogere Andromacham metu,
Vitam minare: nam mori votum est mihi.
Tro. 585—86.

Iason. Infesta, memet perime! *Medea.* Misereri jubes.
Med. 1026.

Electra. Concede mortem. *Ægisthus.* Si recusares, darem.
Rudis est tyrannus morte qui poenam exigit.
Ag. 1052—4.

Mortem misericors sæpe pro vita dabit.
Tro. 338.

Sciebam olim sub illo (Gaio) in eum statum res humanas decidisse, ut inter opera misericordiæ haberentur occisi. N. Q. IV, 1, 17.

Interim optimum misericordiæ genus est occidere. D. III, 16, 3,

---

Vitæ est avidus quisquis non vult
Mundo secum pereunte mori.
Thy. 886—7.

Grande solatium est cum universo rapi. D. I. 5, 8.

Contempsit omnes ille qui mortem prius.
H. Œt. 446.

Quisquis vitam suam contempsit, tuæ dominus est. Ep. 4, 8.

Nescitis cupidi arcium
Regnum quo jaceat loco. —
Rex est qui posuit metus
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens
Et numquam stabilis favor
Vulgi præcipitis movet. —
Quem non lancea militis,
Non strictus domuit chalybs,
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia
Occurritque suo libens
Fato nec queritur mori. —
Rex est qui metuet nihil
Rex est qui cupiet nihil.
Mens regnum bona possidet,
Hoc regnum sibi quisque dat.
Th. 343—44, 348—52, 364—68, 388—90.

Quis sit summi boni locus quæris? Animus. Ep. 87, 21.
Prior ille sapiens est, quem non tela vibrantia, non arietata inter se arma agminis densi, non urbis impulsæ fragor territat. Ep. 56, 13.
Si rectis oculis gladios micantes videt — beatum voca. Ep. 76, 33.
Non voco sapientem supra quem quicquam est. D. VII, 11, 1.
Non cunctabitur sapiens ire ad mortem certo gradu. D. X, 11, 2.
Tibi des oportet istud bonum (libertatem), a te petas. Ep. 80, 5.

Quemcunque fortem videris miserum neges. H. F. 468.
Nihil miserum viro, nisi quod aliquid putet miserum. Ep. 96, 1.

Imperia dura tolle: quid virtus erit? H. F. 437.
Ignis aurum probat, miseria fortes viros. D. 1, 5, 10.

Immane regnum est posse sine regno pati. Thy. 470.
Hoc est regnum nolle regnare cum possis. B. III, 37, 4.

O fortuna viris invida fortibus
Quam non æqua bonis præmia dividis. H. F. 528—9.
O dura fata et nullis æqua virtutibus! D. XI, 3, 3.

Fortuna opes auferre, non animum potest. Med. 176.
In mores fortuna jus non habet. Ep. 36, 6.

Quoties necesse est fallere aut falli a suis
Patiare potius ipse quam facias scelus. Phoen. Fr. 131—2.
Miserius est nocere quam lædi. Ep. 95, 52.

Quisquis secundis rebus exsultat nimis
Fluitque luxu, semper insolita appetit. Phæ. 299—10.
Ubi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum esse diligentior incipit . . . . . . cum adsuevit animus fastidire quæ ex more sunt et illis pro sordidis solita sunt. — Ep. 114, 9—10.

Est miser nemo nisi comparatus. Tro. 1033.
Nostra nos sine comparatione delectent. Numquam erit felix, quem torquebit felicior. D. V, 30, 3.

Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. Phæ. 169.
Tuta scelera esse possunt, secura non possunt. Ep. 97, 14.
Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. Ep. 105, 8.

Pars sanitatis velle sanari fuit. Phæ. 254.
Quem poenitet peccasse, pæne est innocens. Ag. 244.
Pars magna bonitatis est velle fieri bonum. Ep. 34, 3.

Scelere velandum est scelus. Phæ. 729.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter. Ag. 116.
Scelera sceleribus tuenda sunt. Cl. I, 13, 3.

Gravia quisquis vulnera
Patiente et æquo mutus animo pertulit,
Referre potuit. Ira quæ tegitur nocet,
Professa perdunt odia vindictæ locum. Med. 151—54.

Pejora sunt tecta odia quam aperta. Itaque te minus loquax inimicus offendet quam tacitus. De moribus 52.

CORRIGENDA.

P. 4 v. 13 ab imo OEtaum l. *OEtæum*
„ 14 v. 12 ab imo instanti l. *instante*
„ 16 v. 6 ab imo quæ l. *qui*
„ 51 v. 11 ab imo tollendum est *eum*
„ 59 v. imo lacinio l. *lacinia*

JUL 29 '51 H
APR 13 '60 H
JUL 26 '68 H
CANCELLED
2066174

Ls 19.235
De L. Annaei Senecae tragoediis com
Widener Library 006514764
3 2044 085 231 140